e7. C1.

Rr 46

n. 3

R. 14
6/12

~~B. n. 1~~
Estante D. N.
B 2
~~n. 16~~
~~A. A. cap. 2~~
~~B~~ BB. cap. 1

Ms. 88

B. u. T. ö.

2

No.

ANDREÆ MOCENICI P. V. D. BELLVM CAME RACENSE.

ANDRAE MOCENICI P.V.D. PRAEFATIO IN BELLVM CAMERACENCE.

IN OMNI VITA PRAEclarum eſt, ociū recte diſponere, ut nulla dies tranſeat ſine linea, ſic enim uita ſatis longa efficitur, quam alioquin illi homines breuem eſſe conqueruntur, qui corporis imperio, & ſeruitio mentis abuti uolunt, atq; inde rapti inſania libidinis, quæ ſolet nihil compoſitum reddere, prolabuntur in omne ſcelus contra coniunctiſſimum quēq;, quod diis iratis quantacūq; pœna ulciſcendū eſſet. Et nihil mirum eos audaces & temerarios eſſe, atq; dolis & fallaciis, ad honores contendere, nec putare, id utile, quod honeſtum, nec uelle æqua ex æquo, qui neq; ſe, neq; alia nouerint. Viros autem decet contraire, & ſic agere, ut quales haberi uolunt, tales ſint, atq; in ocio & negocio poſſe prodeſſe uideantur, necnon in primis ſeipſos cognoſcere, & in ſeipſos deſcendere, metiendo cuncta alia eadem menſura, qua noſipſos metiendos putamus corpus noſtrū exercēdo & ſubiiciēdo uiribus animi, ut par eſt, & probe animaduertēdo noſtras uires, quātæ & quales ſint, antequā aggrediamur aliqd facere. Pulchrū eſt.n. & ſcribenda facere, & legēda ſcribere, nō tamē oēs ad omnia apti ſumus, ſed ſicut in corporibus & in formis, ſic in animis magnæ diſſimilitudines uidē-

tur. Nãq; omnes propria perſona & aptitudine, quaſi a natura induti ſumus, quã cognoſcere & ſequi debemus, qa inde in omnibus negociis euadimus, & maxime decet, quod maxime noſtrum eſt. Sed alioquin nimius amor ſui, ſæpe facit, ut inniuentibus oculis quisq; in ſe uideat, quæ aliena & ſua ſunt, atq; ideo recte noſter Plato præcipiebat, nos oculum noſtrum, in alterius oculo uidere, & ex illa feneſtra cordis actiones animi proſpicere, atq; oportet ea non facere, quæ in aliis reprehendimus, & idẽtidem ea imitari, quæ digna laude in aliis uiderẽtur. Nempe æmulando uis etiam iudicandi comparatur ſtudio, conſuetudine, & doctrina, ſicut Protagoras docebat ingenium & adminiſtrationem reipublicæ, quia tãetſi ingeniũ a principio nobis inditũ ſit ex officina uulcani et mineruæ ut dicitur, illud tamen ut cætera, doctrina & exercitatione maxime coaleſcit. Nãq; legendo omnia quæ in toto orbe terrarũ anteactis temporibus geſta ſunt, facile omnium rerum ſumuntur experimenta & iudicia de ſimilibus ad ſimilia, & alioqn nemo bene iudicat quæ neſcit, & recte dicitur in Alcibiade primo, ſcientis officiũ eſſe, nõ diuitis, de unoquoq; conſulere, atq; illi ita pauci ſunt, ut diceret Philippus Alexandri pater ſe unũ ſolum Parmenionẽ reperiſſe, cui res agendæ merito crederentur. Itaq; mihi cogitanti cum ocium haberẽ, & intereſſem belli conſultationibus in mentem uenit, noſtri temporis hiſtoriam ſcribere, quia adhuc prægnans animus uidebatur, & putabam parũ prodeſſe quæ intus in animo ſunt, niſi foras ædantur, merito enim dicitur, omnẽ uirtutem in

actione conſiſtere, & nihilominus prodeſt domi bene uiuere, & bene agere, quã foris & militiæ ſtrenuum eſſe, & qui non poſſunt in bello fortiter ſe gerere, ſi facta aliorum ſcripſerint, merito etiam laudãdi ſunt. Et quidẽ mihi maxime laudabile & difficile uidetur, hiſtoriam ſcribere, quia illa omne genus dicẽdi complexa eſt, atq; amplius ea dictis æquanda ſunt, quæ in bello fortiter geruntur, & reddenda omnia ſuæ naturæ conſentanea. Sed ego etiam maiorẽ difficultatem habui, quia difficilius opus ſcripſi quã aliquãdo contigerit, & adeo multiplex, ut in diſponendo multum tempus contriuerim, atq; amplius oportuit præ multitudine, & copia loquentium, rem ualde incompoſitam in formam redigere, et multa coaptare, quæ uariis in locis uno tempore fiebant, & tamẽ labore non detrectauimus, quia uidebamur, operæpretium facere, & benemereri de republica, ſi abſq; mẽdacio litteris mandaremus iſtud bellũ memorabile, quod noſtris temporibus gerebatur. Nãq; alioquin conatus ſum præſtare quãtũ potui, & exacte ſcribere tãtã hiſtoriã, ſi noſtra imbecillitas animi et mediocre ingenium pateretur, & putaui omnes in bonã partẽ accipere, quandoquidẽ intelligant, non parum eſſe in tãto opere uoluiſſe, ſi aſſequi non potuerim quod uolebam. Neq; enim neſcii ſumus, tãtum poſteris debere quantũ poſſumus, & patriæ geſta magnifica referre, pium laborem appellari, atq; ego in primis puto uitã & mortẽ eorum equalem eſſe, qui ſolũmodo uentri & ſomno dediti ſunt, ſomno enim & luxuria omnis uiriũs atteritur, & ſopita gloria uertitur in infamiã.

Nos autem a teneris unguiculis animi officiis uſi ſu-mus, & huiuſmodi laboribus aſſueuimus. Vſq; adeo nunq; hucuſq; pteſum eſt, dum putamus iſta qualia-cunq; muſſitando poſſe forſitã pluribus horis uiuere. Et nuper contenti non fuimus hiſtoriam nudam ſcri-bere, ſed etiã digreſſi ſumus in rebus geſtis Venetorũ atq; in deſcriptione orbis & bellorum, quæ in partes gerebantur, atq; amplius ea diximus, quæ ad Vene-tias noſtraq; æſtuaria pertinere uiderẽtur, & quẽad-modum tantæ pecuniæ reperirentur, quæ uſq; in finẽ ſuffecerint. Et quidem iſtud bellum adeo amplum & uarium fuit, ut omnia contineat quæ cenſentur diffi-cilia in hiſtoria. Nãq; & multæ orationes referũtur, quæ domi & militiæ habebantur, bellum maritimum & fluiatile, oppugnationes urbium, deſcriptiones lo-corũ, & quemadmodum ſæpe collatis ſignis pugnatũ eſt, ut nõ iniuria dici poſſit, nullum bellum tam dictu difficile fuiſſe, atq; magis nũquã amplius fortuna io-cata eſt. Nanq; Veneti in bello terremotum diutinum paſſi ſunt, & Riualti damnificũ ignem, atq; ante bellũ nauale exarſit, & concidit pars palatii, quaſi futuri belli certa præſagia. Deinde quatuor reges cũ helue-tiis & tota Italia in Venetos mouerunt, atq; infœli-citer cum gallis ad flumen Abduam pugnauimus, & paſſim ad hoſtes deſcitum eſt. Poſtea rebus Venetis acciſſis, cum omnes ualde conflictarentur, ſubiit ſpes habendi hiſpana auxilia, atq; illis conductis ſtipẽdio, reparandæ reipublicæ ſtudebatur, ſed nos feſellit ſpes uana, quia ab illis dolo malo decepti ſumus. Deniq; accerſitis heluetiis fruſtra etiã confidimus, quia galli

hoſtes expulſi ſunt, & nos non potuimus rempublicã reparare. Itaq; neceſſe fuit cum gallis iterũ in amicitiam cohire, atq; illi uenerũt in Italiã, profligaruntq; hoſtes heluetios, & inde nobis ſalus reddita eſt, unde tãtũ uulnus prouenerat. Quod ſi nos defeciſſe uidebimur, certe belli ſeries & res ardua placebit, atq; ipſa fortunæ uarietas magnũ documẽtum poſteris afferre poterit. Nãq; legendo per quos uiros, quibusq; artibus domi & militiæ iſtud bellum geſtum eſt, quisq; poterit omnis exempli documenta ſumere, ut imitetur quod profuit, & uitet ea, quæ alioquin nocitura uiderentur, atq; amplius quisq; illud maxime intendat, contra tantos reges, unam rempublicam ſtetiſſe, quod ſemper celebre & memorabile erit. Et quidem noſtra reſpublica ſicut magis lõgæua omnibus fuit, ſic credendum eſt, uiciſſe alias ſanctitate bonis exemplis & legibus, atq; amplius poſſe durare per multa tẽpora, ſi modo ſequi noſtrorum maiorum recta inſtituta & ueſtigia parati ſumus. Nempe illæ uiæ ueterũ in domibus & republica iuſtitia & æquitas, omnis enim iniuſtitia diſſidioſa, & omnis iniquitatis comes diſcordia. Iuuentus omnis non ad ambiendũ aſſueſcebat loqui iucundiſſime & utiliſſime aſſiſtere, ſed ad capeſcẽdum uirtutem animi & corporis exercebatur, ſiquidem uiuebatur in illa ciuitate duratura, ubi uirtus & ius firmitatẽ roburq; ſemper accipiebat, atq; infirmitatẽ & imbecillitatẽ inſcitia & iniuria. In eligendis magiſtratibus nulla erat acceptio perſonarum, ſed apti ad regendũ & idonei legebantur, qui circa ſeria uerſarẽtur. Nã qui in ridiculis ſtudioſi ſunt, eos ſcias,

in ſeriis ridendos fore, & ſi quid mali fecerint nunquam ſcire corrigere ut par eſt, cum ita ſit uita hominum quaſi ut ludas teſſeris, ſi illud quod maxime eſt opus iactu non cadit, illud quod cecidit ſorte, id arte ut corrigas. Et ſupra omnia animaduertebāt eos reipublicæ præſidere, qui nullis libidinibus tenerentur, ſed poſthabitis propriis ſoli reipublicæ conſulerent, & proinde lege prohibebatur, eos de ſumma rerū cōſultationibus intereſſe, qui negociationibus eſſent impliciti, & maxime ambitioſos inutiles putabant: Nā qui honores ambitione adepti ſunt, ea duce ducuntur comparandis amicitiis, & alioquin uiri magnanimi ſecum afferunt alexipharmacum, & dedignantur in iſta uilia deſcēdere, niſi abuſu & neceſſitate cōpellantur. Cum regibus uero & principibus tantum amicitias & pacem excolebant, ut boni amatores pacis nō minus eſſent, quā ab omnibus haberentur, & iccirco longa pace fruebantur, quāuis reges inuicem pugnarent, atq; inde patres ſenectutem hilarem agebant ex bene actæ uitæ iucunda cōſcientia. Quod ſi iſtis artibus domū foriſq; recte adminiſtrabatur reſpublica, & nos quæſo aliquādo reuertamur unde abſceſſimus ſi diuertimus ab itineribus, quæ nobis tanta bona peperere, ſic enim fœlicia illa tempora redibunt, quæ in actis temporum præteritorum legi poſſunt. Et quidē illa præcipue legenda ſunt, unde hominum meliora monimenta ſumuntur, quam ex ſtatuis quæ apud antiquos fiebant, atq; ideo Ageſilaus moriens iuſſit, nullā ſibi neq; fictam neq; pictam fieri, & identidem Cato ſenior aiebat, ſe male homines quærere, cur Catonis

ſtatua poſita non eſſet, quã cur eſſet poſita, quaſi parũ proſint imagines, niſi aliquod opus illuſtre, & dignum memoria fecerimus ſub typis chalcographis. Et merito dicitur hiſtoria magiſtra uitæ, quia ea eſt, quæ nos maxime inſtruit ad res agẽdas, & recte ex præteritis, præſentia dirigimus, & cõiectamur futura, & ſunt tres oculi prudentiæ, ſine qua nõ bene gubernatur reſpublica. Niſi enim a longe uiderimus & tempeſtiue cauerimus uentura mala bene conſulendo & bene agẽdo anteq̃ eueniant, illud ſæpe ſolet accidere, quod turpe eſt dicere non putaram. Igitur quiſq; res geſtas ueterum libẽter legat, & inde diſcat, quid agendum eſt in omnibus negociis, atq; pro comperto habeat, facile imperium retineri iis artibus, quibus ab initio partum eſt.

ANDREAS MOCENICVS .D. ANDRAE GRITTI PRINCIPI ET SENATVI .S.

BELLVM magnũ & memorabile, Princeps & Patres ampliſſimi, natum apud nos proxima fœtura, uobis merito dicandũ cenſuimus, & putauimus uos accepturos benigne prompteq;, tam etſi munus exiguum, ſicut Artaxerxes rex Perſarum hauſtã aquam e proximo flumine iucũdus ſuſcepit, quã operarius obuius obtulerat, atq; eo magis quia uos decet præcipue ueſtrarum rerum geſtarum fautores eſſe, & ego nihil propterea ſtipendii petam,

id quod ueſtra facili munificẽtia ſoliti eſtis dare etiã iis, qui ſolũmodo profeſſi ſunt, & nihil aut parũ bene-meriti de republica. Tu uero ille es, qui in iſtis maxi-mam partẽ habes, & te ſæpe inuenies Princeps iucũ-diſſime, ſic.n. libet te cõpellare præfatione ueriſſima, quæ antehac in aliis obſoleuerat. Nãq; tu te ſoles ita omnibus facilẽ præſtare, ut omnes ſciãt, quã ex æquo tecũ uiuat imperiũ, triumphalis et uictor, ꝓcurator & legatus in caſtris, et quod iis nobilius feciſti, dum illud ſenatorio ordini præſtas ſapiens cõſilii, atq; hæc omnia reipublicæ, & talis fuiſti in omnibus magiſtra-tibus domi foriſq;, qualis in caſtrenſi cõtubernio, nec ꝗcquã mutauit in te fortunæ amplitudo in iis, niſi ut prodeſſe tantũdẽ poſſes, quantũ uelles. Itaq; omnibus ſui uenerationẽ tui patent illa omnia, quæ etiam nos inuitant ad colendum te familiarius, niſi alia uia in-gens occurras, & longe ſubmoueas ingenii facibus. Fulgurat enim in te uere dicta uis eloquẽtiæ, et ma-gna fœcunditas animi, ut hæc nõ poſſim nõ trepidus æſtimare, ſubiturus ingenii tui iudicium laceſſitum. Multum enim refert publicare, & dicare tibi, qa tũ poſſem dicere te non fuiſſe in hoc albo, cum iſta con-dicerẽ, aut poſſem te reiicere, ſicut fecit Lucilius & M. tullius cũ ſcriberet de republica, & quãto nos cau-ſatius feceremus niſi uſi eſſemus iſta tui nũcupatione. Accedit uilis apparatus, & te hoſpitem inuitauimus, & elegimus iudicẽ, a quo nõ licet iniquũ aliqͣd uelle, nõ aliter quã apud Catonem illũ hoſtem ambitus, & gaudentem repulſis tanquam ineptis honoribus, cum apud illos honores ambitione & largitionibus trade-

rentur, & candidati propterea pecunias deponerẽt, hoc aiebant ſe facere pro innocentia, ne uiderentur a Marcoportio Catone rem improbam petere. Et quidem immenſa ſubit cura tibi condigna tribuere, quẽ poſitũ in excelſiſſimo faſtigio reipublicæ, & præditũ ſumma eloquẽtia cũ ſumma rerũ geſtarũ gloria, religioſe adiri etiam a ſalutantibus ſcio, ſed tamen etiam diis lacte ruſtici, & multæ nationes ſupplicãt, & litant ſolũmodo mola ſalſa, quibus thura defuerint, & nemini uitio attribuitur, deos colere, quẽadmodũ pt. Verũ illud nos cõſolatur, quod tibi dicamus opus memorabile, & libellos non leuioris opere. Nãq; ingenii capaces ſunt, quãuis illud nobis per quã mediocre eſt, & admittunt exceſſus, orationes, ſermones, caſus mirabiles, & rerũ euentus uarios, atq; alia multa, quæ iucunda dictu, & legentibus blanda ſunt. Neq; tamen unquã adeo iſtis moueor, ut nõ ſemp utilitatẽ iuuãdi prætulerim, gratiæ placendi, quod non feciſſe uidetur Titus liuius, cũ ſcriberet ab origine urbis Romæ potius ſibi, quã romani nominis gloriæ, & utilitati legẽtiũ. Ego aũt nihil audeo promittere, niſi hoc ipſum, quod tu præſtas, ut ad te ſcribam, & hæc eſt fiducia operis ſup tanta nomẽclatura, atq; æſtimatio & preciũ, ſicut & multa ualde precioſa ideo uidentur, quia templis deorũ dicata ſunt. Et certe alioqn decreuerã, iſtud hoc mandare hæredibus, ne uita dediſſe aliquid ambitioni indicaretur, & proinde tu debes præoccupantibus locũ magis magiſq; fauere contra illos, quos ſcio nobiſcũ decertaturos. Neq;.n neſcius ſum, me ſub eo malo ſidere natũ eßе, ut omnia mea in malã par

tem accipi ſoleant, & faba cudi in meũ caput, quãdo maleuolis aliis uorti uitio deberet. Neq; tñ eo ĩficias multa adiici poſſe iſtis meis, & aliis omnibus æditis, ut obiter caueã iſtos ὁμηρομάστιγας, ſed ſoleo uiti ligatores eos paruifacere, qui ueræ laudis expertes, parati ſunt ſola obtrectatione alienæ ſcientiæ famam ſibi aucupari, atq; eorum oratiões ſino præterfluere, ut aiebat Cato Cenſorius, Securus ergo per te nuper experiar, an poſſim aliqd in hiſtoria, atq; illud maxime me mouit, quod intererã rei gerẽdæ, quæ ardua & memoranda uidebatur, & omnia uidebã ſingulatim, quæ domi & militiæ fiebant, unde expertus ſum facile illos potuiſſe a ueritate diuertere, q geſta tẽporũ præteritorũ ſcripſere, & qui ab aliis quouis modo relata referre contenti ſunt. Nãq; egó maxime ſtudui in habendis omnibus, quæ in ſenatu conſultabãtur, & quæ ex caſtris, & ex oratoribus noſtris apud reges & principes ſenatui referebantur, & tamen uix potui ueritatẽ elicere, qa eadẽ res geſta, ab illis q inter fuerãt, non uno modo referebatur. Vſq; adeo oportuit me nõnũq̃ cõiectari & poſteritati cõſulere, ut omnia multo ueriſſima haberẽtur, neq; enim hiſtoriã puto, niſi & eadẽ uera fuerit. Quod ſi in multis aliis defecero, qđ certus ſum, certe in hoc, ut omnia uera traderentur diligẽtiſſimus fui. Adieci & illud, ut omnia ſenatus cõſulta & regũ actiones, quæ in bello gerendo domi conſultabantur cõplexus ſim, & quæ deinde ex conſulto gerebantur, ut omnia queadmodum conſulta ſint oculis legentũ ſubiicerẽtur, & queadmodũ geſta ſunt. Nãq; domi cõſulto opus eſt, et foris mature facto

poſtquã cõſulueris,& non aliter bene ſe rex habet,ſi alterutrũ defuerit aut arma foris aut domi conſiliũ. Totũ uero opus P. OP.non me latet ſumpſiſſe ad ſcribendũ difficile,& non poſſe niſi per uos alienis auribus placere,atq; ideo ueſtrã opem imploro, & præſertim te noſtrũ ducem inclytum fautorem uoco,ut ſuſcipias iſta qualiacũq; , illa tua facie hilari digna imperio,& proceritate auguſtiſſima , ſicut ſoles omnia iucunde excipere , & te gerere erga oẽs tanto ſummiſſius, quanto es omnibus ſuperior . Hæc tua uirtus eſt,& uera magnitudo animi, non ſolum potentia & dignitate,ſed humanitate præcellere,et maiora alia, quæ dicẽda in aliud tẽpus differo, ne modo in magnitudine rerũ tuarũ cõfundar , dum nimiũ uolo breuem epiſtolã ſcribere.Cæterũ quia fuiſti iſtorũ pars maxima,ideo ualde lætatus ſum,tibi Principi dicare, bellũ iſtud Cameracẽſe,qđ ita appellare collibuit a principio,quia principiũ totius pluſq; mediũ perhibetur,et nolui feſtiuiorẽ titulũ excogitare, ſicut græci ſolebant uocare,alii κηρίον,alii λειμῶν,alii κέρασ ἀμαλθείασ , quos in eo non ſequerer,ſed illud laudo,quod ſolebãt pendenti titulo inſcribere,ut Apelles faciebat, aut Polycletus,& uelim ex illis itelligi,ut mihi ſemp̃ ſup̃eſſet regreſſus ad ueniã. Sed quod nobis licitũ eſt, libenter facimus,& profitemur facile poſſe errare & decipi,quãdo nihil mirũ uideri ſolet, ſi bonus etiam aliqñ obdormiat,cũ multa dicturus acceſſerit. Quo fit ut nõ iniuria modo ſecutus ſim ueſtigia antiquorũ auctorũ in nuncupãdo fautore, & nulli magis dicãdum opus erat,quã tibi Principi & ſenatui , quorum

geſta talia referuntur, quæ poſſint ad immortalitatẽ perducere, ſi noſtra aliquid apud poſteros ualebunt. Id quod fore omnino cõfido, ſi te talẽ fautorẽ habuerint noſtræ iſtæ lucubrationes, quæ alioquin non audebunt prodire in publicum, niſi tuo tanto patrocinio foueantur. Tu igitur iucunde accipe qcqd eſt, quod tuũ eſt, & libenter datur, quod dari poteſt, ex noſtra officina tenui & infæcũda, tu maiora facito tuo ductu, & tuis auſpiciis, & da cãdorẽ illũ, quẽ tu melius ſcis, qui rebus omnibus geſtis interfuiſti. Et quia parcendũ fuit tibi impedito publicis negociis, ſubiunxi latine epitoma, unde poſſes breuiter omnia intelligere, quæ in ſingulis libris cõtinentur, atq; alii etiã per te poterunt nõ plegere, ſed ex eo quærere aliqd & ſcire, quo loco inueniant. Valete.

ANDREAE MOCENICI. P. V. D.
EPITOMA HISTORIAE
EX LIBRO PRIMO.

BELLI CAVSAE QVAEruntur, & quemadmodum inter principes Italiæ diſcordiæ ortæ ſunt, & Ludouicus Sfortia regẽ gallorum Carolum contra Ferdinandũ regẽ Neapolis in Italiã accerſiuit. Et quidem Rex gallorũ facile compos uoti factus eſt, quia ſtatim hoſtes in fugam conuerſi ſunt. Sed galli ea uictoria nimiũ inſolenter utebantur, atq; iccirco ab omnibus in illos cõuẽtũ eſt, et facile Italia

expulſi ſunt. Quoniã uero per idem tẽpus res piſanæ Venetorũ auſpiciis agebatur, Ludouicus Sfortia ueritus eos nimium aſpirare, turcas & Chriſtianos reges in Venetos hortatus eſt, & cum alioquin bellum ingens inſtaret Veneti compulſi ſunt, contra ducem Ludouicũ Sfortiam, fœdus inire cum Ludouico rege gallorũ, q in demortui regis Caroli locũ ſuffectus eſt. Sic ea faba in caput Ludouici Sfortiæ cudebatur, & demũ ille ſemel expulſus, atq; iterũ captiuus in galliã abductus eſt. Poſtea referuntur ea, quæ galli cum hiſpanis apud Neapolim geſſere, & quẽadmodum res omnes pacatæ ſunt, ſimulac rex hiſpaniæ gallã uxorẽ duxit. Inde Rex gallorũ cæpit machinari in Venetos, atq; eo maxime dum itur obuiã germanis, qui uolebant per Tridentũ in Italiã irrumpere. Cæterũ Rex romanorũ Venetos ſocios malebat, ſi illi trãſitũ dare cõtenti ſint. Sed Veneti nunquã paſſi ſunt, ad germanos deſciſſere, q̃uis amplæ cõditiones proponerẽtur, & tandem e Senatu cõſulto potius cũ gallis ſtatũ eſt. Quare primo cum germanis ad Cadubrium certamẽ fuit, & hoſtes ad unum cæſi ſunt, atq; identidem ad Goriciã & Tergeſtũ res ceſſit ex ſententia, & ambæ ciuitates in Venetorũ poteſtatẽ uenere, atq; amplius Rex romanorum declinauit ad inducias cũ Venetis, & illæ deniq; in triennium factæ ſunt. Sed q̃a gallus orator rei agendæ non interfuerat, inde belli iſtius cauſæ quærebantur, & tandem reges Cameracenſe fœdus in Venetos pepigere. Deinde ſub digreſſione rerum Venetarũ ſeries habetur, quẽadmodum ciuitas opibus aucta eſt, & quænam bella fœliciter geſta ſunt, dum boni mores ueterũ excoluntur, & aliter cũ

primū illi inmutari cœpti ſunt, labefactata ciuitas &, quia potius quā mare opiferū, diſſidioſa continēs ſpectabatur, & cū regibus ibatur de bello in bellū, quſq; in iſtud bellū cameracēſe, puētū eſt. Cæterū qa difficile Venetis erat, cōtra tātos reges pugnare, illi primo quoq; tempore egerunt cū Pontifice & Regibus angliæ hiſpāiæ & germaniæ, ſi aliquo pacto poſſent inita fœdera diſturbare, & cū ea parū profectura uiderentur, ingentes copiæ parabantur ad Rauennam, ad Iuſtinopolim, ad Veronā, ad Forūiulii, & ad flumen abduā præſertim contra gallos ibatur. Cōparata quoq; maritima claſſis eſt, quæ orā Apuliæ & Flaminiæ tueretur, & Padana claſſis altera, quæ poſſet ſuppetere, ſi qua uis ingruat ex Ferraria. Nihilominus copiæ hoſtium parabantur, atq; paſſim ad confinia pugnabatur. Nāq; Marchio Mātuæ in expeditionem exiuit, & Caſalemaius cœpit, atq; idētidē parte alia maioribus copiis agebatur, qa Mediolani magnus Magiſter amnē Abduā traiecit, & cœpit oppidū Triuiliū, atq; amplius in incerto res erat, quouſq; ad Caruuagiū uis hoſtiū repreſſa eſt, ſicut & contra Marchionē Mātuæ apud Aſulā oppidū, & cōtra exercitū Pōtificis apud Rauennā urbē ſtabatur, ſimulac Pontifex ualle Lamonia & ciuitate Fauentia potitus eſt. Parte alia Venetorū oīs exercitus ad flumē Abduam uenit, hoſtes repulſi ſunt, ui recœptū Triuiliū, & oīa predæ militibus fuere. Sed ea pda ualde pnitioſa Venetis fuit, qa inde multæ diſcordiæ ortæ ſunt, & hoſtes potuerunt amnem impune traiicere, & paulo poſt ad Pandinum oppidum, infauſtum certamen fuit, & uires Venetæ acciſæ ſunt. Quare Venetiis ualde

tumultuatum eſt, curatūq; copias colligere, & exer-
citui ſupplementum mittere, atq; augere claſſem
ad quinquaginta triremium. Sed quāuis domi foriſq;
omnia fierent, quæ uſui forēt, uſq; ad Veneta æſtua-
ria tamen paulatim receſſum eſt, quia omnes urbes
& oppida res nouas molirentur præter oppidū Piſche
riæ, quod ui captū in hoſtiū poteſtatem uenit. Et q̄dē
aliæ urbes ultro etiā regibus tradebantur, atq; am-
plius Veneti aſſidue pacē implorabant, ſed tantum
abfuit, ut paſſim bello potius ageretur. Nanq; parte
alia Dux Ferrariæ terra mariq; infeſtus erat, & parte
alia Rex romanorū incœpit nouum bellum gerere in
Iſtria et Foroiulii, atq; amplius cū magno exercitu in
Italiā uenit, ubi germāi magna crudelitate utebātur,
quāuis paſſim deditio fiebat. Itaq; apud Meſtrū oppi-
dum quoq; in caſtris Venetis tumultuatum eſt. Sed
Andreas gritti legatus oratione placauit, iuſſitq; mi-
lites iterū dare nomina, & iurare impata faceſcere,
quia alioq̄n nemo amplius ſub ordinibus militiæ ſta-
bat. Pari modo apud Taruiſium ſeditio orta eſt, &
ciues colebant Maximiliano regi ciuitatem tradere,
niſi illa ſtatim cōpreſſa eſſet fauore populariū, q̄ pro-
pterea immunitate donati ſunt, atq; omnis exercitus
Taruiſium uenit. Deinde muniendæ urbi, & colligen-
dis frugibus ſtudebatur. Nāq; de patriciorum frugi-
bus cum Patauinis maxima quæſtio fuit, & tandem
propterea paratis omnibus ex ſentētia, clāculū cōtra
Patauium ibatur, & q̄a paſſim agricolæ pro Venetis
ſtabant, cuſtodes patauii ad fores decepti ſunt, Vene-
torum omnis exercitus in urbē uenit, & Patauium in
fidem iterum recepta eſt. Ex libro

RECOEPTA urbe Patauio cũ Maximiliano rege de pace iterũ agebatur, ſed nihil fiebat, et plus ſolito germani i Iſtriã & forũiulii pruperãt, ubi freqũeter uiciſſim res erat, atq; multa oppida ſæpius capta recœptaq; ſunt, & paſſim leuia certamina fiebant, dũ germani uolunt ſæuire & prædas agere, & ueneti contra ſociis auxilio ubiq; ſunt. Sed apud ciuitatem Auſtriæ uis hoſtiũ repreſſa eſt, & ſimul ac Angelus Triuiſanus cũ claſſe in Iſtriã uenit, ciuitatẽ Fluminis ui cæpit diripuit & ſolo æquauit. Aliter rex romanorũ cũ magno exercitu contra Patauiũ in expeditionem ibat, & Venetorum omnis exercitus urbẽ ingreſſus eſt. Deinde ſtudebatur Patauium munire, ordines diſtribuere, & quia forte apud Inſulam Scalanã Marchio mantuæ temere ſtabat, Veneti obiter ea occaſione uſi ſunt. Et quidẽ res ceſſit ex ſentẽtia, quia clanculũ ibatur, Marchio mãtuæ cum militibus, & diuite ſupellectili in Venetorũ poteſtatẽ uenit, & Venetias abductus eſt. Hoſtes aũt Ferrarienſes ex altera, & Germani ex altera, agros uaſtare pdas agere, deniq; obſidere Patauiũ feſtinabant, atq; iccirco ex agris fuga paſſim fiebat, abducebanturq; ad paludes animalia, & miſeri agricolæ Venetias uenerunt, & habuerunt paratã domũ, inſtructumq; penus ex ære publico. Nãq; & ſi multi cuſtodes animalium foris eſſent, hoſtes tamẽ frequẽter prædabantur, & cõmittebant leuia certamina. Contra Veneti ad ſeruandã urbem Patauium omnia

parare & facere, quæ in rem ſint. Dux quoq; oratione uſus & operatus eſt, ex totis Venetiis Patauio ſupplemētū mittere. Et quidem Patauina obſidio diutina fuit, & multa leuia certamina fiebant. Deinde hoſtes diuerterūt Ateſte oppidum, & Mōſilicem capere & diripere, quibus peractis cum magna ſtrage Venetorū militum, iterum contra Patauium ibatur. Et quia centum millium hominū omnis exercitus hoſtium erat, & merito dubitabatur de republica, ideo militibus noſtris qui Paduæ præſidio ſtabant, plenæ exhortationū e ſenatu conſulto redditæ litteræ ſunt. Legati quoq; & Imperator exercitus milites inhortabantur imperata faceſcere, urbem ſeruare, ſedulo uſui eſſe, & in uerbis concœptis omnes obligarūt ſacramento militiæ. Cæterum dum ea res agitur, ab hoſte cœptum eſt tormentis militiæ muros urbis cōcutere, & fruſtra in urbē ad deditionē cōuolutis litteris ſagittæ coniicebantur. Nāq; acrius etiā contra hoſtes agebatur, & modo noctu eruptiones fiebant uſq; ad ſtationes hoſtium, modo interdiu in hoſtes ibatur ordines diſturbare & intercipere, ſi qui hoſtium palantes ibant. Aliter ad portā Caudæ longæ atrox certamen fuit, quia nimiū hiſpani pedites auſi ſunt murum aſcendere. Nāq; propterea multi eorum exuſti & cōtriti ſunt, & pauci integri potuerūt euadere. Sed ea uictoria cœperunt noſtri milites inſoleſcere & imperata non facere, quia Veneti legati ſoluendo non erant, ut ualde in incerto res eſſet, niſi pecuniæ impune ex Venetiis portarentur, quando propter ſublatum puluerem hoſtes obuii nequiuerūt

in Venetos uectores agere. Patres autē ſolliciti de ſumma rerum frequenter hortabantur Regem angliæ contra gallos in expeditionē exire, & ea occaſione uti, quando Rex gallorū implicitus eſſet rebus Italiæ. Et quia Rex romanorū uidebatur uelle anteſcapere, atq; excire turcas in Venetos, qui antehac promiſerant Venetis affore auxilio, Veneti compulſi ſunt cum Turcis identidē agere, oblata gratanter excipere, atq; auxiliū implorare, quia etiam Rex Pannoniæ cū claſſe gallica & hiſpana in dalmatiā bellum moliri uideretur. Sed præcipue ſtudebatur obſidionem leuare, & parare alterum exercitum apud Meſtrū ex manu collectitia cum peditibus & equitibus qui Taruiſii ſubſidio ſtabant. Et quidē apud Patauium ſæpe cōmittebātur leuia certamina cum hoſtium magno malo, quia ſemper illi repellebantur, & nunq̄ totis uiribus agebatur, dum galli uolunt non niſi ſubſidio ſtare. Igitur hoſtes deniq; ſoluta obſidione potius digreſſi ſunt prædas agere. Sed ex opulentia diſcordia orta eſt, et hoſtes copias partiti ſunt. Et quia Vincentiæ non niſi germani ad ſeptē milia hominū erant, Venetorū omnis exercitus cum manu collectitia in eam expeditionem exiuit, & cum nequiſſet urbem ui capere, Vincentini uoluerunt deditionem facere, & Germani impune dimiſſi ſunt. Sed Veneti milites neſciuerūt uti uictoria & celeritate qua oportuit, atq; ideo apud Veronā poſtea res parum ceſſit ex ſententia, quia Rex romanorū iterum in Italiā uenit, & parte alia Germani qui abierant ex Vincentia ubiq; infeſti erant, niſi Alexāder bigolinus

ad uallem ſidatam illis obuiā iſſet, & illi abiſſent in Germaniā. Parte alia Aloyſius mocenicus cū exercitu in arcem Scalanā ibat, quia finitima oppida deditione recœperat. Et primo quidem tormētis militiæ acriter agebatur, poſtea atrox certamen fuit, deniq; ui capta arx eſt, & omnia prædæ militibus fuere, atq; identidem geſtum eſt fœliciter apud Caſtrūnouum fori Iulii, ubi multa quoq; leuia certamina fiebant, & frequenter cum hoſtibus res erat. Angelus autem Triuiſanns cum ingenti claſſe in Ferrariam perrexit agros uaſtare, prædas agere, igni ferroq; omnia paſſim ſubuertere. Sed tandem res ceſſit aliter ꝙ putarat, quia dum temere ſtatur, Veneta claſſis diſiecta eſt, & amplius hoſtes Lauretū cœpere, atq; iuri longius uidebātur, niſi alioquin Itali & Galli inuicem pugnaſſent, & multi hoſtium periſſent. Nāq; propterea Veneti potuerunt claſſem reficere, & apud rhodigianā polleſinum ſtabatur. Poſtea apud hoſpiciolū de pace cum germanis oratoribus agebatur, & quia tandem re infecta germani oratores receſſerant, pacis auctor identidē Rex angliæ quærebatur, & Achilles Craſſis Pontificis orator agens apud Cæſarem. Nāq; Veneti cenſuris apoſtolicis expiati, cum Pontifice de bello & pace identidē agebāt, quia Pontifex ad Venetos declinabat, curabatq; Regem angliæ a gallis auertere, & heluetios mercenarios habere. Aliter Rex romanorū propterea oratorem Pontificis expulit, qui profectus inde in Panoniā cum Petro paſcalico pro Venetis fruſtra identidem egit, quia helianus gallus orator, omnia diſturbauit.

& Regem panoniæ ad recuperandã dalmatiã oratione hortatus eſt. Veneti uero interea pene Veronã obſidebant, & quia Veroneſes aliqui petri caſtellum pollicebãtur tradere, nocte media in eam expeditionẽ ibatur. Sed ſcalæ breuiores fuere, & Veneti ſeipſis in fugam conuerſi ſunt, atq; ideo hoſtes ſtatim mouerũt in Venetos, quãuis alioquin ea res parum ceſſit eis, ex ſententia. Nãq; compulſi ſunt in urbem propediem redire, atq; amplius multi hoſtium in Veneta caſtra confluebant, & quia illi germani milites eſſent, benigne excipiebantur, ut Hiſpanis & Gallis ſuſpitioſum & diſſidioſum foret.

EX LIBRO TERTIO.

QVONIAM uero Veneti plus ſolito conabãtur copias augere, Reges etiam ducti ſunt maioribus uiribus agere, & germanis ingẽs ſupplementum mittere. Itaq; galli copias partiti ſunt cum Rege romanorũ ad Lemniacum, & cum duce Ferrariæ ad peninſulã rhodigii, & cum acriter ageretur contra polleſinũ, illa tandem in hoſtiũ poteſtatem uenit, atq; amplius in agrum Patauinũ ibatur. Veneti uero cum toto exercitu ad brentellas uenerũt, & deinde mouerunt contra Vincentiã, dum putant ab oppugnatione Lẽniaci hoſtes auertere. Sed tantum abfuit, ut hoſtes magis magiſq; obnixi oppidũ ui, & deditiõe caſtellũ cœperint. Poſtea Veneti iterũ ad brẽtellas ſtabãt, & ſæpe leuibus certaminibus agebãtur, dũ

hoſtes paſſim prædari uolunt, & Veneti ſociis auxi-lio ubiq; ſunt. Et quia ſæpe etiam Veneti audebant ultro hoſtem inuadere, hoſtes demũ iunctis inuicem copiis in Venetos mouerunt, ſimul ac Rex gallorum cõtẽtus eſt Regi romanorũ morem gerere, quia alio-quin timet quæ contra ſe de nuptiis apud Reges fie-bant. Igitur Venetorũ omnis exercitus iterum Pata-uium ingreſſus eſt cum miſeris agricolis, & adcer-ſitis nobilibus ſeruãdæ reipublicæ ſtudebatur. Iulius autem Pontifex parabat contra Genuã & Ferrariam in expeditionem ire, & eius rei Hiſpani quoq; ſocii adhibebantur, ſimul ac Pontifex oratione uſus ſuaſit, Regi hiſpaniæ neapolitanũ regnum in feudum dare atq; inſuper Genuenſibus ſuaſoriæ litteræ Pontificis datæ ſunt. Et quia iam heluetii in ſolum mediolanẽſe proruperãt, galli qui prius parabant obſidere Pata-uium aut Taruiſiũ, ad propria tuenda recedere cõ-pulſi ſunt. Aliter germani cum quadringẽtis hiſpanis militibus ubiq; ſæuire, & prædas agere, deinde ſtare ad uillam bataleã, atq; identidem uelle obſidere Pa-tauium uiſi ſunt, & tamen diuerterũt Monſilicẽ ca-pere & diripere. Sed dum ea res agitur forte Sonci-nus benzonius in Venetorũ poteſtatẽ uenit, & uitã finiuit ſuſpendio. Et quia in caſtris ſtabatur ſine im-perio, & tumultuatũ eſt, Patres fecerunt Luciũ mal-uetium Gubernatorẽ exercitus, & Laurentiũ ceri-natem præfectũ peditũ. Interea uero cum omnia pa-rata eſſent, contra Genuam & Ferrariam ibatur, & primo quidem apud Genuã terra mariq; Veneti & Pontificii fruſtra iterum iterumq; tentarunt urbem

capere, quia pauci milites erant, & contra gallorum claſſis paratiſſima, & in urbe ingens præſidium ſta-bat. Aliter contra Ferrariā fœliciter ibatur, & ducis multa oppida capta ſunt, atq; amplius, quia Marchio mantuæ rei ſuppetere uidebatur, tandem ad preces Pontificis cuſtodia liberatus eſt, ut deinde Imperator exercitus Venetorū eſſet. Hoſtes autem galli propte-rea uenerunt Veronā & Ferrariam, ut ſociis auxilio forent, dum magis propulſandæ ꝙ inferendæ iniuriæ apti eſſent. Itaq; iterum Veneti potuerūt recuperare oppida Taruiſii & foriiulii, ubi frequēter leuia cer-tamina fiebant, & multa oppida in fidem recœpta ſunt. Nibilominus in Iſtria ſæpe cū hoſtibus res erat, & terra mariq; uario euentu pugnabatur, dum ho-ſtes ubiq; infeſti ſunt, & uiciſſim Veneti milites co-nantur paſſim illatam iniuriam propulſare. Parte alia quia omnis exercitus hoſtium ex Verona Vincentiā uenit, & uidebatur in foriiulii uelle prorumpere, contra omnis exercitus Venetorū ex Patauio Vin-centiā ibat, atq; identidē parte alia cū parte copiarū in rhodigianā polleſinū ibatur. Et quidem tota polle-ſinus iterum in fidem recœpta eſt, atq; amplius cum padana claße fœliciter agebatur in Ferrariam, & parte alia noſter exercitus pene fugientes hoſtes uſq; Veronā ſecutus eſt. Sed ſolum leuia certamina fie-bant, cum potius opus eſſet totis uiribus bellū gerere, & uti occaſione, quæ ſe nuper obtulerat, quia alio-quin fortuna inconſtans dilapſa eſt, atq; impune ho-ſtes in Veronā potuerunt euadere. Interea Heluetii in mediolanēſe ſolum proruperant, & cū gallis acri-

ter agebatur. Sed galli nunq̃ prælĩu cõſeri paſſi ſunt, & potius conabãtur hoſtem uincere inopia & laſſitudine, ſicut & tandem fecere, atq; beluetii cõpulſi ſunt re infecta in patriã repedare, & cũ Rege gallorũ in gratiã reddire. Veneti uero parte alia auſi ſunt Veronã inuadere cum ſuo magno malo, quia dũ tormentis militiæ res agitur, & frequenter fiunt leuia certamina, Lactantius bergomenſis & Citolus peruſinus cum multis aliis uulneribus confoſſi ſunt, atq; amplius re infecta receſſum eſt, & contra Ferrariam ibatur, ubi & identidẽ infœlicitrr geſta res eſt. Nãq; Venetorũ ambæ claſſes padanæ diſiectæ ſunt, & Rhodigiana polleſinus in hoſtiũ poteſtatem uenit, dum Veneti cupiunt omnibus modis Iulio Põtifici morem gerere, qui Bononiã uenerat, & illam rem expeditiſſimis copiis agebat. Sed parum ceſſit ex ſententia, atq; amplius gallorũ omnis exercitus in Pontificẽ mouit, & quia copiæ eius non poſſunt obſiſtere, Mutinã urbem ingreſſæ ſunt, & ſuper Bononia difficultas erat. Nãq; Paulus capellus cum Veneto ſubſidio non poterat tam cito, ut par erat ſuppetere, quia Dux Ferrariæ infeſtus eſſet, & Marchio mantuæ ſemper differet in aliud tempus uenire, atq; ideo Pontifex uidebatur ad gallos uelle deſciſſere, niſi Veneti leuites opportune ſubſidio ueniſſent, atq; idẽtidem Orator angliæ feciſſet gallos pauliſper recedere, ut ſine trepidatione Bononiæ ſtaretur. Poſtea Ioannes Maurus ad Caſtrũ nouum claſſem padanã impune traiecit ex pado in tartarum & in amnem atheſim, & Paulus capellus cum parte copiarũ Mu

tinam uenit ſine Marchione mantuæ, quia fruſtra illi fides haberetur. Aliter Venetorum omnis exercitus iterum contra Veronã ibat, quia Dux terminus cum parte copiarum diſceſſit, & Veneti in ſpem urbis potiũdæ ducti ſunt. Sed parum ceſſit ex ſententia, quia ingẽs ſubſidium ſtatim in urbem uenit, & Veneti protinus inde abierunt contra Ferrariã. Et quidem inter agendum de pace etiam frequenter agebatur. Nãq; Rex gallorũ conatus eſt Regem hiſpaniæ & germaniæ in Pontificẽ & Venetos mouere. Sed cum hiſpanis ſuſpicioſa res eſſet, illi potius ad Pontificem & Venetos declinabãt, & uolebãt cum Rege angliæ nouũ fœdus inire. De cõciliãdo alioquin Duce Ferrariæ fruſtra agebatur & quia Pontifex uiribus agendum uidet, Venetis præſidiis uſus eſt, ciuitateq; Concordiã & Mirandulã cœpit, quia galli hoſtes nondum obuii uenerant. Sed alioquin cum illi paſſim uenuiſſent, paſſim identidẽ receſſum eſt, & potius propulſandæ iniuriæ ſtabatur. Sed quia poſtea galli uerſus Mediolanũ ibant, cum heluetii iterum in Italiam feſtinarent, uiciſſim iterum contra Ferrariã ibatur. Et quidem infœliciter geſta res eſt ad propugnaculũ Coloniæ, quia ex Ferraria ſtatim ingens ſubſidiũ uenit, & noſtri fuſi fugatiq; ſunt, atq; identidẽ ad palacium Bellaerem cum gallis infauſtum certamen fuit, & Leonardus hieroſolymitanus eques occubuit. Nihilominus in pado ſæpe inter claſſes pugna fluuiatilis fiebat, & tandem Veneti repulſi ſunt, atq; gallorum omnis exercitus in eam expeditionẽ iterũ cũ Lentiuolis uenit, ſimul ac apud Bononiã Gurgẽſis de

pace fruſtra egerat cum Pontifice. Igitur deinde ad padum & ad amnem panarū frequenter & acriter agebatur, multa leuia certamina fiebāt, ſempq; Veneti & Pōtificii repulſi ſunt. Deniq; apud Bononiam infœliciter geſta res eſt, quia dum temere intra urbem & montē ſtatur, Bononienſes & monticolæ res nouas moliti ſunt, fuderunt diripueruntq; Venetos, & Pontifex amiſſa Bononia Romā reuerſus eſt.

EX LIBRO QVARTO.

POSTEA q̄ Bononia in hoſtium poteſtatem uenit, Pontifex curam belli gerendi depoſuit, & obiter litteras dedit Regi gallorū, ut deſiſteret Ducem Ferrariæ defendere & concilium celebrare, ſimul ac ipſe illud in laterano indiceret. Sed ſupra omnia Pontifex & hiſpanus Orator curabant Venetos cum Rege romanorū conciliare. Nihil tamen fiebat, quia Veneti nunq̄ Vincentiā relinquere paſſi ſunt, atq; amplius cum galli ad ſtationes iſſent, Veneti milites nimiū auſi ſunt circa Veronam agros uaſtare, & omnes ſegetes cōburere cum ſuo magno malo. Nāq; inter agendum multi Venetorum cæſi & capti ſunt, atq; amplius gallorum omnis exercitus cum Ferrariēſibus & Germanis iterum in expeditionē exiuit. Et quia Veneti uoluerunt hoſtem ualidum expectare, ad uillā nouam & ſuauiū fuſi fugatiq; ſunt, donec aufugiſſent in Patauium, & deinde ſtudebatur Patauium Taruiſiumq; munire, quia in incerto res erat, ſi Patauiū aut Taruiſiū hoſtes pa-

rent inuadere. In Iſtria quoq; Veneti nimiũ auſi ſunt Tergeſti agrũ uaſtare, penetrare ĩ germaniã, & locũ fluminis cõburere. Nãq; ꝑpterea Chriſtophorus frão gipanes iterum in Iſtriam uenit, & totã prouinciam prædatus eſt. Vſq; adeo etiam in Iſtria multa idẽ tidem geſta ſunt. Nãq; terra mariq; frequenter age batur, & ſæpe uario euentu pugnabatur, modo Ve neti, modo hoſtes uincebãt, & multa oppida ſæpe ca pta & recœpta ſunt. Parte autem alia omnis exerci tus hoſtium cõtra Patauiũ uenit, ubi ſæpe etiam ua rio euentu pugnabatur cum Venetis leuitibus, dum illi maxime ſtudent cõmeatus hoſtium intercipere. Sicut & nuper fecerũt ad Maroſticã & Suauiũ, & augebatur propterea magis magiſq; in caſtris hoſtiũ penuria cõmeatuũ, atq; iccirco hoſtes mouerũt inde contra Taruiſiũ, ſimul ac in miſeros uillicos crudeli ter ſæuitum eſt. Verum identidem hoſtes egerunt infœliciter apud Taruiſiũ, & tandẽ re infecta ibant in Forũiulii, quo & germani paſſim ex Tridẽto cõ fluere dicebantnr. Itaq; paruo momento totum forũ iulii in hoſtium poteſtatẽ uenit. Nãq; Antonius ſa uorgnanus ad hoſtes deſciuit, & milites omnes ubiq; in fugã conuerſi ſunt, atq; amplius Germani & Galli hoſtes uſq; ad Veneta æſtuaria uenerunt agros ua ſtare, prædas agere, ſæuire, ſubuertere. Sed paulopoſt hoſtes ibant ad tuenda propria, quia heluetii iterum in expeditionem exibant, & identidẽ iterum Veneti potuerunt uicina oppida recipere, & foriiulii totam prouinciam redimere. Nãq; hoſtes abierant, & de ditio paſſim fiebat. Aliter Cromoniũ ui captũ eſt, &

contra Gradiſcam infœliciter agebatur, atq; amplius foriiulii in incerto res erat, quia germani hoſtes iterum proruperant, niſi illi tantūmodo contenti ſint Bellūni ciuitatē diripere & in germaniā recedere. Interea ſummopere de pace & fœderibus agebatur, & quia multū intererat in partes ſuas habere Regem angliæ, qui ſtatim in galliam prorūpat, illi Pōtificis litteræ plenæ ſuaſionū datæ ſunt, & tandem inter illum & Pontificē cum hiſpanis Venetis & heluetiis nouum fœdus initum eſt. Deinde omnibus locis contra gallos ibatur, & primi heluetii in ſolum mediolanenſe uenere, atq; acriter geſta res eſt. Sed heluetiis parum ceſſit ex ſententia, quia re infecta unde abſceſſerant reuerſi ſunt. Parte alia Veneti iterum iterumq; contra Brixiā mouerūt, & tandē urbs illa in Venetorū poteſtatē uenit, dū galli hoſtes impediti ſunt contra exercitum Pontificis & Regis hiſpaniæ apud Bononiā. Sed cum primū hoſtibus relata res eſſet, bene munita Bononia gallorū omnis exercitus contra Brixiā confeſtim ibat, & inter eundū fudit fugauitq; præſidium & ſubſidiū quod Brixiam anteſtabat, atq; amplius ciuitas cum magna ſtrage Venetorū in hoſtiū poteſtatē uenit, & omnia prædæ militibus fuere. Interea uero iterum cæptū eſt agere de pace cum Rege romanorū, & Pontifex uiſus eſt Venetos uelle deſerere, niſi illi contenti ſint Vincētiam Regi Maximiliano tradere, atq; ideo frequēter ad ſenatū referebatur, & cum pax diſplicuiſſet, placuerunt magis induciæ, & illas deniq; pacti ſunt. Deinde quia gallis magnū periculum imminebat, illi

quantum in ſe fuit, ſæpe antea conati ſunt Pontificem & heluetios in ſuas partes deducere; & cum illud facere non poſſent, uiribus agendum rati ſunt, & cõtra hiſpanos audacter ibatur. Igitur apud Rauennã atrox certamen fuit, quia collatis ſignis geſtum eſt, multi ex utraq; parte cecidere, & non inulta fuit gallorum uictoria. Veneti uero cum claſſe padana frequenter in Ferrarienſes agebãt, dum illi ubiq; infeſti ſunt, & uolunt nauigia cum mercibus intercipere. Et quidẽ ſæpe uario euentu pugnabatur, nunc ii nunc illi uincebãt, Polleſinus rhodigii iterũ capta & recœpta eſt. Dum uero Põtifici & aliis gallorũ potẽtia formidoloſa uideretur, heluetii iterum in Italiam uenere, ſimulq; cum Venetis in gallos truculenter ibatur. Et quidem galli quaſi fugientes abibant, quãdoquidem iterum iterũq; fuſi fugatiq; ſunt, & ſimul ac Mediolanũ atq; urbes aliæ a gallis deſciuerant, illi pauci quidem abierunt in galliã, quia de multis edita cædes eſt, & omnia prædæ militibus fuere. Poſtea inter Venetos & heluetios diſcordiæ ortæ ſunt, quia ab heluetiis cœptũ eſt nimiũ inſoleſcere, & tandem Veneti compulſi ſunt inuitis heluetiis repente diſcedere uerſus Cremam & Brixiam, quãuis alioquin contra urbes illas aliæ Venetæ copiæ adhuc eſſent, & frequenter cum hoſtibus ageretur. Per idem tempus Romæ cœptum eſt conciliũ fieri, ſimul ac Bononia & tota flaminia recœpta eſt, hiſpani iterũ in Ciſalpinã galliam ibant, Rex angliæ initum fœdus ingreſſus eſt, Rex romanorum cum Venetis inducias ſanxit, & Dux Ferrariæ Romã uenit. Sed quia non

potuit conuenire cum Pontifice, clanculũ aufugit in Ferrariam. Deinde cœptum eſt de bello & pace conſulere. Nãq; hiſpani & heluetii machinari aliquid in Pontificem & Venetos uidebantur, quia uolebant Maximilianũ Sforciã Mediolani Ducem eſſe & Venetos Brixiam non oppugnare. Sed omnia fruſtra fiebant, atq; hiſpani & heluetii contra Venetos ibant, quia ipſi nolebant ab oppugnatione Brixiæ deſiſtere. Et fortaſſe apud Brixiã difficultas fuit, quia uiribus agebatur, quãdoquidem apud Cremam ſuaſione pollicitis & muneribus cuſtodes uicti ſunt, & ciuitas in fidem recœpta eſt. Poſtea Regum & Principũ Oratores ad heluetios uenere, & diu quidem actũ eſt de cõcordia, tandẽ heluetii cum mediolanẽſibus cõuenere, & fauere rebus uenetis uiſi ſunt. Aliter apud Brixiam uenetis parum ceſſit ex ſententia, quia deniq; urbs illa hiſpanorum in poteſtatẽ uenit, & quod peius eſt, dum Mãtuæ & Romæ de pace cum Gurgenſe iterum ageretur, & fieri non poſſet, Pontifex ægre tulit, & cum Rege romanorum nouum fœdus in Venetos fecit, ut uenetis neceſſe fuerit, iterum cũ toto exercitu Patauiũ recedere. Interea uero nouum bellum in gallia ortum eſt, & quia per idem tempus toto orbe terrarum bellum identidem uigebat, breuis de ſitu orbis narratio fit, & in quibus partibus bello acriter agebatur, quando ubiq; bella aſpera geſta ſunt, atq; identidem ab hiſpanis & anglis terra mariq; contra gallos ibatur, & tandẽ angli in Aquitania magnam prædam egere, & Rex hiſpaniæ tota Vaſconia potitus eſt. Deinde galli agebant de pace cũ

uenetis & beluetiis, & quidem cum uenetis actum eſt, ut dum eorum in ea re ſita omnis ſpes eßet, fruſtra Pontifex obnixus ſit a propoſito illos auertere, & conciliare potius cum rege Romanorum, quando non iniquæ pacis conditiones proponebãtur. Et quia nihil fieri nimium Pontifici moleſta res eſſet, ille præ triſtitia in grauem infirmitatem incidit, & deniq; uita functus eſt.

EX LIBRO QVINTO.

LEO DECIMVS *ut primum Pontifex ſedit, ſumma ope conatus eſt Venetos a gallis auertere, atq; hortari cũ tota Italia & beluetiis in noua fœdera. Sed uenetis amplius non erat integrum Pontifici acquieſcere, quia iam antea cum gallis clãdeſtinum fœdus pepigerant, & hortabantur Pontificem placare totam Italiam, & gallis potius hærere, quia pacis ſtudioſiores eſſent. Liuianus uero cum primũ uenit e gallia, gallis idẽtidem cum exercitu ueneto obuiam ibat, quia illi iãdudum in Italiã feſtinabant. Hoſtes autem germani qui Veronæ ſtabant, ut primũ uident uenetos abiſſe, uſq; Vincentiã prædati ſunt, atq; iccirco oportuit ſupplementũ mittere, & deinde Vincentiæ maioribus præſidiis ſtabatur. Liuianus uero Cremonam cœpit & diripuit, ſimul ac Palauicini fuſi fugatiq; ſunt, qui auſi fuerãt urbem antecapere. Et quia iam tum omnes ciuitates aliæ citra padum ad gallos deſciuerant, Laurentius cerinas pro uenetis deditione etiam Brixiam cœpit.*

Sed interea inter Pontificē & Reges germaniæ hiſpaniæ & angliæ contra gallos nouum fœdus initum ferebatur, & Dux Genuæ quia cum gallis non ſatis conuenerat ad hiſpanos declinare uiſus eſt, & nuper eos auxiliatores petebat contra Fliſcos, qui ſeditione ciuili in Montoium ſeceſſerant. Aliter Fliſci antequā præſidia ueniſſent repente urbem ingreſſi ſunt, expulerunt Fregoſios, & Antoniotus adornus in ducis locum ſuſfectus eſt. Deinde inter gallos & heluetios apud Nouariam urbem acriter agebatur, & deniq; galli uicti ſunt, quia propter paludem mediam equites peditibus non potuerunt ſuppetere. Veneti uero poſtq̄ uidiſſent gallos in galliam aufugere, reliquerūt incuſtoditam Brixiā, & ibāt uerſus Patauiū magnis itineribus. Sed poſtq̄ uentum eſt trans amnem Atheſim ad lemniacū, auſi ſunt Veronēſium ſegetes aſportare, Lemniacum ui capere, & Veronā acriter oppugnare cum ſuo magno malo, quia propterea hiſpani & milites eccleſiæ laceſſiti iniuria uidebantur, & paſſim contra Venetos ibatur, ſimul ac hiſpanorum opera Fliſci iterum expulſi ſunt, & Dux Octauianus fregoſius in ſede locatus eſt. Et primo quidem apud Piſcberiam contra Venetos acriter agebatur, & deniq; cæſis uenetis arx etiam in hoſtium poteſtatem uenit. Deinde quia multi hoſtes etiam cohibant ex germania, & fuga paſſim fiebat, Veneti reliquerunt incuſtoditum Lemniacū, Peninſulāq; rhodigii, & cū toto exercitu intra urbes iterum itum eſt ſeruare Patauium & Taruiſium, atq; amplius Veneti moliebantur cum claſſe in Apuliā irrumpere. Sed poſtea

cū parata

cum parata classis eſſet ſuperſederunt id facere, & quæ collegerant multa nauigia dimiſſa ſunt. Hoſtes autem obſcederunt Patauium, & ſæpe uidebantur uelle urbem inuadere. Sed tantum abſuit, ut non niſi leuibus certaminibus ageretur, & quia hoſtes ſæpe uincebantur, atq; illis ubiq; Veneti leuites infeſti eſſent, obſidione ſoluta receſſum eſt. Interea parte alia apud Pontevicum oppidũ, & urbem Bergomum cum hoſtibus frequẽter res erat, deniq; oppidum in hoſtium poteſtatem uenit inopia cõmeatuũ, quod alioquin ui capi non potuit, urbs Bergomũ ſæpe capta & recepta eſt, dum uiciſſim cæſis cuſtodibus potiſſimum de pecuniis ageretur. Põtifex autem Leo quãtum in ſe erat curabat in hoſtes gallos totã Italiã armare, & præſertim Venetos uolebat in fœdera quia ſic fieri poſſe putabat, ut uiciſſim pax omnium ſequeretur. Sed nihil fiebat, quia Veneti ſtabant cum Rege gallorum initis fœderibus, quãuis etiam in incerto gallorum res eſſet, ſimul ac angli in Aquitaniam, & heluetii in Burgundiam irruperant. Igitur ſoluta obſidione Patauii omnis exercitus hoſtiũ ſæuiendo ibat uſq; ad ueneta æſtuaria, & quia Venetiæ hoſtibus uidebantur, uiſum eſt operæprecium eas etiam legentum oculis ſubicere, & idcirco quantum par erat, digreſſi ſumus per partes totam ciuitatem deſcribere, portus flumina canales proximã continẽtem piſcium uiuaria, & maris latam planiciem. Sed uaſtatis paſſim agris cum hoſtes uerſus Vincentiam redirẽt, paſſim cum exercitu & manu collectitia illis obuiam ibatur. Et quidem Liuianus ad duplicẽ me-

duacum prope Ciuitatulam & Vincentiam tranſitū uetare incaſſum conatus eſt, atq; amplius cum hoſtes ſtando ſolūmodo, uinci poſſent, & Liuianus temere auſus eſſet illos inuadere ad Creatium, Veneti cum magna ſtrage fuſi fugatiq; ſunt. Hoſtes tamen deinde neſciuerūt uti uictoria, quia paſſi ſunt Venetos uires iterum reparare, & armis uiriſq; bene munire Pataujum & Taruiſium, dum hoſtes Vincentiæ moraretur, & agerent non niſi leuioribus certaminibus. Nāq; ueneti ſatiſfacere uidebantur, ſi ſeruent Patauiū & Taruiſium tantiſper dum Rex gallorum iterum in italiam uenit, qui nuper alioquin ualde erat bello implicitus, quia Rex angliæ & germaniæ bellū gerebant in Aquitania, & heluetii irruperant in Burgundiam. Et quidem galli fuſi fugatiq; ſunt ab anglis ad Morinum urbem, quæ deinde deditione capta & ſolo æquata eſt, atq; amplius angli Neruim urbem ceperunt & munierūt præſidiis, quia multum interat. Cum heluetiis autem Dominus Termuliæ pacem fecit quibuſlibet cōditionibus, Sed Regi nō placuit & malebat filiā nubere Ferdinādo fratri Ducis Burgundiæ, & conuenire cum Rege germaniæ & hiſpaniæ, qui cum etiam intercedebant induciæ. Sed tantum abfuit, ut Pōtifex nuptias diſturbaret, & potius cum Rege angliæ & heluetiis de pace iterum ageretur. Deniq; Rex angliæ cum gallis inducias fecit & repedauit in angliam, ſi poſset in regiam ſcotiæ ſe intrudere, ſimul ac Rex ſcotiæ in bello periſſet quod nuper in anglia geſtum eſt. Poſtea narrantur ea quæ apud Cremā fiebant, & quéadmodum hiſpani

cum mediolanēſibus eam urbem obſederant, & ta-
men Laurentius cerinas ſæpe illos uicit ſtratagem-
mate, quouſq; obſidio ſolueretur. Parte alia Romæ
Veneti difficultates ſuas cum Rege romanorum con-
ſiſi ſunt in manu Pōtificis ponere, quia propterea pu-
tant bello deſiſtere. Sed tantum abfuit, ut ea occa-
ſione hoſtes ceperint incuſtoditū Maraniū, & paſſim
omnia prædati ſint, atq; amplius Chriſtophorus fran-
gipanes agricolas uillæ Muzanæ fallaciis ſeduxit, il-
liſq; eruit oculos & pollices abſcidit, atq; amplius
cum magna ignominia Venetos repulit, cum illi terra
mariq; contra Maranium ueniſſent, cepitq; oppidum
Monfalconiū, quando Venetiis totus Riualtus igne
abſumptus eſt. Parte alia cum toto exercitu hoſtes
irruerunt in Forūiulii, & obtinuerūt totam prouin-
ciam, præter oppidis Oſopium, & cum in eam ex-
peditionem exiſſent, parum tamen illis ceſſit ex ſen-
tentia, quia acriter geſta res eſt, & hoſtes nequiue-
runt Oſopium capere, quinimmo Liuianus cum exer-
citu in forūiulii repente uenit, hoſtes fudit, & rece-
pit totam prouinciam. Pontifex uero pacem inter Re-
gem romanorū & uenetos inuitis uenetis promul-
gauit, cōtra illud quod promiſerat. Et propterea ni-
hil ualuit, quia Veneti nūq; ratifacere paſſi ſunt. Vix
autem Liuianus abierat uerſus Taruiſium & Pata-
uium, & germani hoſtes iterum irruperunt in forū-
iulii, ceperuntq; Cromoniū & Monfalconiū, ut ne-
ceſſe fuerit in forūiulii ſubſidium mittere, & deinde
contra hoſtes acriter ſtabatur. Atq; amplius Veneti
fruſtra iterum experti ſunt, ſi poſſent Maraniū ca-

pere, ſed pro Maramio ceperunt Comitem Chriſtophorum, quia ille temere præcipitauit in inſidiis & captus eſt. Poſtea acceſſit hoſtibus ingens ſubſidiũ ex germania, & legatus Ioannes uictorius in hoſtium poteſtatẽ uenit, dum ſæpe leuibus certaminibus ageretur, quouſq; inducias pacti ſunt. Parte alia hoſtes hiſpani uaſtatis paſſim agris prædas egerũt uſq; Patauium, atq; amplius ui ceperunt & diripuerunt Ciuitatulam. Sed non identidem potuerũt Caputageris capere, quouſq; uenerãt prædas agere. Et quia germani maxime ſæuierant, Veneti quoq; auſi ſunt terra mariq; in germaniam prorũpere, & identidem agere, quãdoquidem uidebatur licitum eſſe par pari reddere. Liuianus autem cum hoſtibus inſidiis agebat, & ſæpe uincebat ſtratagẽmate. Nãq; Antonius caſtellius nocte media Ateſte oppidũ furatus eſt, hoſtes occidit, magnã prædã egit, & cõbuſit multa nauigia, atq; idẽtidem parte alia Liuianus propugnaculum ad Bibaquiam cepit, Moriglionũq; Ducẽ hiſpanorũ peditum, & uſq; Mõtagnanã uenit Viceregẽ hiſpaniæ in certamẽ popoſcere, atq; amplius Malateſta Balionius & Mercurius Bua cum leuitibus ultra Atheſim ad uillã Zeueũ cõtra ducẽtos leuites hoſtiũ fœliciter egerũt, & poſtea cum Vicerex parſq; magna exercitus Veronã ueniſſet, quia tumultuatũ erat, Liuianus repente Rhodigium cepit, & diripuit trecentos milites, atq; eo ſucceſſu uolebat Veronã capere. Sed tantũ abfuit, ut cum hoſtes ui Bergomũ cepiſſent, & in uenetos feſtinarẽt, uix Liuianus cũ exercitu impune potuit in urbẽ Patauiũ aufugere.

ANNALIBVS prorogatis induciis Regis gallorū cum Rege hiſpaniæ, adeo Regi angliæ diſplicuit, ut ſtatim ageret cum Rege gallorum de pace & de nuptiis, atq; tandem Rex gallorum ſororem Regis angliæ uxorem duxit, & pacem fecit conditionibus illis, quas Rex angliæ popoſcerat, ut poſſet iterum in Italiā uenire ſicut & maxime ſtudebatur. Sed inter talia opera Rex Ludouicus interiit, & Frāciſcus primus eius nominis ſuffectus eſt, qui cum Veneti maluerunt innouare uetera fœdera, q̄ ſine Verona cū Rege romanorum pacem facere, quēadmodum Pontifex iterum iterumq; hortatus eſt. Nāq; & Rex Franciſcus uelle in Italiam uenire uidebatur, ſi modo poſſet cōuenire cum Pontifice. Sed tantum abfuit, ut Pontifex iniret alienum fœdus cum regibus & heluetiis, qui uiciſſim parabāt in Vaſconiam & in Burgūdiam irrumpere. Parte alia hoſtes cōtra uenetos e ſtationibus exierāt, & uidebātur uelle diripere flocos ſericeos, qui Vincentiæ fiebant, niſi Liuianus cum exercitu protinus locum antecapiat. Et quidem cōfidēter ſtabatur, donec cum hoſtibus leuioribus certaminibus ageretur. Sed poſtq̄ hoſtes feſtinabant locum capere aut confligere, Liuianus maluit uerſus Patauiū in pacatū recedere. Deinde apud Patauiū ſtabatur, ſtudebaturq; augēdis copiis & exercēdis leuitibus in hoſtes proximos, ne ſicut uellent impune poſſent meſſē aſportare & prædas agere. Sed paulopoſt alioquin uerſus

gallos ibatur, quia hoſtes abibant uerſus heluetios. Nãq; Franciſcus Rex gallorũ cum magno exercitu in Italiam feſtinabat, & contra heluetii conabãtur ſaltus antecapere. Sed dum heluetii ſtarẽt ad Monchalerium & Pinaroliũ, galli omnes per uiam Argentariam traiecerunt impune in Italiam, atq; in primo ueſtibulo ad Villãfranchã incautũ offenderũt ceperuntq; Proſperũ columnã cum trecentis militibus. Poſtea agebatur de pace cum heluetiis qui receſſerant ad Vareſiũ. Galli uero uenerãt ad Marignanũ, Hiſpani ad Placentiã ſtabãt, & Veneti e regione ad laudam, atq; ſæpe inter Venetos & hiſpanos leuia certamina fiebant, quia hiſpani uolebant ſe cum heluetiis iũgere. Sed dum ea res agitur heluetii repente gallos aggreſſi ſunt, & pugna atrox fuit quantũ alia. Nãq; galli ſtabãt iniuriã repellere, & heluetii iterũ iterumq; conati ſunt ordines diſturbare. Deniq; galli uincebantur, niſi Liuianus ſtatim ſubſidio ueniſſet, & apportaſſet uictoriam. Nãq; propterea redintegratũ prælium eſt, atq; heluetii tandẽ cum magna ſtrage fuſi fugatiq; ſunt, & urbs Mediolanũ deditionẽ ſtatim fecit. Sed ſup arce Mediolani & Cremonæ aliquãdiu difficultas fuit, deniq; cũ uiribus acriter ageretur, Dux Maximilianus Sfortia ſe & utrãq; arcẽ dedit, ut Cardinalis ꝓmoueretur, & uigintimillia nummum in gallia annuatim haberet. Igitur Rex gallorũ Mediolanũ uenit, & res omnes cõpoſuit cum Pontifice. Pariter exercitus Pontificis & Regis hiſpaniæ abſceſſit, atq; Liuianus cum exercitu ueneto contra Brixiã ſtatim mouit. Vbi dũ differtur aliquid agere,

ipſe incidit in grauē ægritudinē, & morte præuētus eſt, atq; oportuit ſufficere Ioānē Iacobū triultium, & deinde tormentis militiæ cōtra Brixiā acriter agebatur. Sed parum ceſſit ex ſententia, quia hoſtes eruptione facta Venetos fuderunt fugarūtq; cōbuſerunt puluerem igniferum, & aſportarūt tormēta militiæ. Poſtea Magnus nothus Alobrogū cum magnis præſidiis in caſtra uenit, & cōtra Brixiā acrius ſtabatur, denuoq; agebatur tormētis militiæ, & cuniculis ſubterraneis. Sed cum mœnia excauaſſent & poſuiſſent ſuper ligneis peſſulis, hoſtes pacti ſunt deditionē facere, niſi poſt uiginti dies ſubſidium ueniſſet, ſicut & poſtea uenit, atq; Veneti fruſtrati ſunt, & ad Gaidū hyematū receſſum eſt. Quoniā uero gratulari oportebat cum Rege gallorū propter partam uictoriam de heluetiis, quattuor oratores Veneti uiri primarii apud Mediolanū eo officio functi ſunt, & commitati Regē uſq; Bononiā ad Pontificem, ubi per quatriduū actum eſt de bello & pace, & de aliis omnibus, quæ ſpectare ad Regem & Pontificē uiderētur. Et cum uiciſſim cōpoſuiſſent omnia ex ſententia, Rex gallorū Mediolanū rediit, & in galliā repedauit. Poſtea uenit in caſtra Veneta Dominus Lutrech cum magno ſubſidio & Theodorus triultius gubernator Veneti exercitus cum Andrea gritti, qui legatus in caſtris Dominico contareno ſuffectus eſt, atq; iterum Brixiā obſederūt, & frequenter agebatur leuibus certaminibus, ut ſemper fieri ſolet, quando in propinquo hoſtis eſt. Et quidem galli & Veneti in ſpem urbis potiūdæ facile ducti ſunt, quia maioribus uiribus agebatur.

Sed parum profuit, cum poſtea Rex angliæ datis pe‐
cuniis Regem romanorũ & heluetios mouiſſet. Nãq;
primo quoq; tempore Rex romanorum cum magno
exercitu in Italiam uenit, & gallos tantus timor in‐
ceſſit, ut non auderent hoſtem conſpicere, & uolebãt
in galliam abire, niſi Veneti uetaſſent hortando &
cõprimendo uim hoſtiũ apud Caſtellum Aſulam, ubi
uiribus agebatur, & hoſtes nunq̃ potuerunt oppidũ
capere. Sed eo relicto nihilominus contra gallos &
uenetos ibatur, quouſq; Mediolanũ uentum, & cõtra
hoſtes acriter ſtatum eſt, ſimul ac heluetii ſubſidio
uenerũt aduerſus heluetios. Itaq; cum acriter obuiã
hoſtibus iretur, & ſtaretur cum heluetiis, qui nole‐
bant pugnare cõtra heluetios, quia mediolanẽſes res
nouas moliri non poſſet, & Rex romanorũ ſoluendo
amplius non eſſet, ipſe ſtatim abiit, & ab hoſte pau‐
latim receſſum eſt. Sed nõ impune fiebat, quia omni‐
bus locis obuiam hoſtibus ibatur, & multi cæſi aut
capti ſunt, quouſq; iterum in germaniã iretur. Cum
uero Rex romanorũ & heluetii abiſſẽt, omnis exer‐
citus Venetorũ & gallorum iterum contra Brixiam
uenit. Sed hoſtes cum uiderent in magno diſcrimine
rem ſitam eſſe, magis ad concordiã declinabant, &
tandem æquis conditionibus urbem & caſtellũ tra‐
dere paſſi ſunt, atq; impune cum diuite ſupellectili
per Tridentum in germaniã abire. Capta Brixia cõ‐
tra Veronã itum eſt, ſed parum ceſſit ex ſententia,
quia paulopoſt rumor cepit increbreſcere uenire ite‐
rum heluetios, & protinus ad Piſcheriã receſſũ eſt,
commeatum uetare, & tantum leuibus certaminibus

ſemper agere. Sed hoſtes alioquin uſq; Patauiũ totam
meſſem, & magnã copiam cõmeatuũ prædati ſunt,
& aliquãdo uenerũt Vincentiã etiã impune diripere
quia exercitus nimiũ diſtaret, & præſidia apud Pa-
tauium & Vincentiã non ſufficerẽt. Quare cum ex-
pectatæ pecuniæ e gallia ueniſſent Dominus Lutre-
ch contentus fuit contra Veronam iterum in expe-
ditionem exire. Sed intereundũ ex colliſione curruũ
in puluerem igniferũ magnũ incendiũ uenit cũ magna
iactura reipublicæ, quia cum grandi impenſa opor-
tuit iterũ munimẽta reparare, & tamen contra Ve-
ronam nihil fiebat. Nãq; galli identidẽ uolebãt diſſi-
mulare, & non urbem capere, ſicut apud Burſellẽ ci-
uitatem in pace perpetua cum Rege hiſpaniæ con-
uentum eſt. Non tamen propterea deſiſtebatur bello
aſſiduo, & uiciſſim contra Veronã tormentis milia-
tiæ acriter agebatur, atq; amplius cum magna pars
muri procubuiſſet, parabatur in certamen deſcẽdere.
Sed dum ea res agitur nũcius e Burgũdia & Ger-
mania ad Dominũ Lutrech confeſtim in caſtra ue-
nit, & amplius ferebatur obſeſſis iterum ingẽs præ-
ſidium feſtinare, quibus rationibus galli iterum ducti
ſunt omnia imperfecta relinquere, & cõclamatis re-
pente uaſis ad Villãfrancam receſſum eſt, atq; inde
frequenter leuia certamina fiebant, quia galli & ue-
neti maxime uolebant cõmeatũ uetare, atq; hoſtem
ad deditionẽ cogere præ inopia earum rerum, quæ
æſculenta & poculenta ſunt. Itaq; Crouaria caſtellũ
unde cõmeatus in urbẽ ferebãtur, frequẽter captũ et
receptũ eſt, quia modo noſtrorũ, modo hoſtium uires

ampliores erant. Sed magis intererat quod iterũ fe-
rebatur, uenire ſubſidium e germania, atq; auctore
Cardinale Sedunẽſe Regum oratores nouũ fœdus in
gallos & Venetos iuraſſe. Nãq; propterea Dominus
Lutrech uolebat Mediolanum abire, & inopiã mili-
tum cauſabatur, ut non niſi magnis impenſis cõmea-
tuum in eum locum retenti ſint, donec apud Burſel-
lem per oratores ageretur de pace inter Regẽ gallo-
rum & romanorũ, & de inducijs inter Cæſarem &
Venetos. Et quidẽ beluetii feſtinarũt pacem cũ Rege
gallorum antefacere, quia paulopoſt Cæſar cũ Rege
gallorũ pacem perpetuã fecit, & cum Venetis indu-
cias pactus eſt. Itaq; urbs Verona in Venetorũ pote
ſtatẽ uenit, & milites ad ſtationes dimiſſi ſunt, quia
induciæ uigebãt, & difficultates aliæ inter Regem
romanorũ & Venetos ſitæ erant in manu Regis gal
lorum & Regis hiſpaniæ. Deniq; Andreas Gritti
Dominũ Lutrech uſq; urbẽ Laudã cõmitatus eſt, &
Venetias rediit, quo uenit, & paulopoſt Gubernator
Triultius, atq; in naui Bucentoria cum omnibus ſi-
gnis letitiæ exceptus eſt.

LIBER PRIMVS HISTORIAE.

SCRIBERE AGGREdior bellum multorum Regum aduerſus Venetos, tum quia illud noſtris temporibus geſtum eſt, tum quia ualde memorabile uidetur. Nãq; ſi ueterum etiam Atheniẽſium & Romanorum geſta magnifica cenſemus, nuſq̃ tale exemplum reperimus, ut cum tantis ſimul regibus ageretur, quanti & quales iſti ſunt, de quibus modo dicturi ſumus. Sed anteq̃ tantum opus incipiã, ut res oẽs melius inoteſcant, referã ſuccincte omnia, quæ cõſentanea uidẽtur. Mortuo Duce Mediolani Galeatio Sfortia, quia Ioannes Galeatius eius filius puer erat, ei demum tutor fuit Patruus Ludouicus Sfortia. Sed cum ille adoleuiſſet, & Iſabellã neptem Neapolitani Ferdinãdi Regis uxorem duxiſſet, Rex ægre ferebãt Ioannem Galeatium Mediolani Ducem non agere, atq; eam rem enixe curabat. Igitur quia alioquin ita fore Ludouicus merito uerebatur, ſicut illis ſolet accidere, qui non legitime imperant, ſtatim aduerſus Regem, gallos in italiam accerſciuit. Neq; mora fuit in Carolo Rege gallorum compoſitis rebus cum Regibus & præcipue cum Venetis. Itumq; eſt terra mariq; cum expeditiſſimis copiis, rerum omniũ ſucceſſu fœliciſſimo, tota ſubacta hetruria, depopu-

lata Campania, famā increbreſcente ſine ullo conflictu hoſtes in fugam conuerſi ſunt, & ille toto regno potitus eſt. Sed poſtea parum gallis ceſſit ex ſententia, quia ab illis ceptum eſt nimium uelle, potentiam aliorum nihil ad uires ſuas putare, totius Italiæ imperium aſpirare, Florentinos in Piſanos mouere, atq; ſupra omnia infeſtos eſſe Alexādro Pontifici, & propterea ne opprimeretur eccleſia, inter Pontificem Regem hiſpaniæ, Mediolanenſes, & Venetos fœdus initum eſt, & galli ad Tarrum fluuium fuſi fugatiq; ſunt, Et quidem magna fuga gallorū fuit, atq; etiam longe maior fuiſſet, niſi dolo malo magiſq̄ Venetorū, gallorum rebus Ludouicus Sfortia ſtuduiſſet, quia Venetos Piſam uſurpaturos uerebatur, & amplius eo auctore Turcæ, Galli, Germani, & Principes Italiæ contra Venetos bellum enixe parabāt. Sed forte interrea Carolus Rex gallorū occubuit, & Ludouicus ſuffectus eſt, qui maluit ſua recipere, q̄ aliena uſurpare, & conuenire cum Venetis, qui neceſſitate in eā ſententiā ducti ſunt, ne alioquin noſtræ Venetiæ paterentur. Itaq; Ludouicus Rex gallorum cōtra Ludouicum Sfortiam in Italiam uenit, atq; eum ſemel expulit, & iterum captiuū in galliam duxit, atq; amplius Rex gallorum uoluit neapolitanū regnum iterū uendicare, multoq; facilius cum Rege hiſpaniæ illud cepit & partitus eſt. Sed poſtea inter eos propediē bellum fuit, atq; primum hiſpani uincebantur, poſtea paulatim uicerunt, & decōpacto Regnum habuere,

quia Rex hiſpaniæ neptem Regis gallorum in ſuam uxorem duxit. Secundum ea connubia belli futuri in Venetos primæ occaſiones datæ ſunt, atq; in excidiū uenetarū rerum pluſq̃ ſemel fœdus percuſſum eſt. Cœterum omnia facile diſſoluebantur, quoniam Rex romanorum ad ſuſcipiēdum coronā imperii tutiſſimū iter Romam arripere uolentibus Venetis malebat. Denicꝫ ea res per nobiliſſimos Oratores Germaniæ Venetiis agebatur, atq; iccirco Rex gallorum ueritus conabatur Venetos in germanos inceſſere, quatenus putabat bello proculdubio fieri, ut ipſi amplius non poſſent cohire in amicitiā, & ipſe facilius rem ſuam ageret, quam dudum antea molitus eſt. Igitur ſuper ea re, quæ maximi momenti uidebatur, frequēter actum eſt in ſenatu. Multi aderant, qui gallorum fidem multum ſuſpectam haberent, atq; ab eis ſtatim ſeccedendum arbitrarentur. Contra plures erant, qui ſtandum promiſſis dicerent, atcꝫ aliquis eorū in hāc ſententiam loquebatur. COGITANTI mihi P. C. quid præcipuum nobis attribuitur, nihil magis inuenio, q̃ nomen fidiſſimarū gētium. Neq; id parum putare debetis, quādo rerum humanarū maximum uinculum fides perhibetur, quæ ſi deſit, nulla ratio cōmercii, & fœderum haberetur. Nunc uero ea in quæſtionem uenit, de qua modo dicendum eſt mihi et cuiq; optimo, quatenus ne dū is male agit qui male conſulit, ſed ille etiā qui alioquin dicendo uetare poterat. Verum id fruſtra, an ob rem faciam in ueſtra

manu ſitum eſt. Certe ego ſi poſſim ſuadere experiar fidem datam gallis inuiolatā ſeruare, & pacē amicam ſperare, cum nemo ſoleat ſine cauſa bellum gerere. Ea uero. P. C. ratio futura eſt, ut ſicut antea ſequamini amice cum ambobus agere. Neq; enim germani hoſtes erūt, ſi propter initum fœdus cum gallis eſſe eis auxilio, non poteſtis. Neq; galli ab inito fœdere diſcedent, tum quia uobiſcum res ſuæ tutiſſimæ ſunt, tum quia cum Rege romanorū intercedunt noua & uetera odia, quæ ſemper inter eos futura ſunt fomenta diſcordiæ. Neq; uos debet mouere, ſi nuper uſus ſimulatione ſolita Rex gallorum uiſus eſt filiam ſuam Claudiam, Carolo filio Ducis Burgundiæ nubere, Nāq; & euentus docuit, & ea uobis conſciis ficta, & irrita fœdera fuere. Quod ſi etiam ſolūmodo cū Rege gallorū, aut romanorum, ſtandum eſſet, Regē gallorum eligerem, quia ille armis, & diuitiis, potior eſt, & pacem curat, quæ uobis ſemper uſuuenit. Rex autem romanorum Maximilianus plus erogat, quā habet, & ſemper opere teſtatur ſuum eſſe, ac Regem auguſtiſſimū quemq; maxime decere, bellum famigerum ſemper gerere, ut uos ſcilicet eius partes ſequamini, ſi potius quā pacem, mauultis bellum, neruoſq; reipublicæ, & ueſtras opes proiicere. Duo ſunt. P. C. quæ maiores ueſtros ſemper ſtudioſos pacis fecere. Alterum eſt, quod pace latius, imperium ueſtrum propagatum eſt, & opes ueſtræ ſemper auctæ, quæ alioquin bello uigēte, externo milite ueſtro mercenario,

profuſiſſime dilapidãtur. Alterum eſt, ꝙ ipſi non erãt ignari, rempublicã dominãdi pluſſatis ambitioſam, & bellicoſam, regibus cunctis infeſtam eſſe. Et quidẽ ea de cauſa potiſſimum, patres ueſtri externo milite ſemper uſi ſunt, ut omnes nationes intelligãt, uos ſemper inuitos bellum gerere, & potius ſemper cupere, Regibus cunctis rem gratam facere. Nempe & ueſtra intereſt, & ſemper debetis ſperare, hoſtes etiam amicos fore, dum quiſq; ſuarum rerũ Zelotypus eſt, & ſemper ægre patitur, alicuius imperium creſcere. Igitur debetis ſemper amice cum omnibus agere, pacem ſequi, & bellum fugere. Et quia nuper conueniſtis cum gallis, dignitate & fide ueſtra ſeruata, ſtandum eſt fœderibus, quæ rite ſancita ſunt, atqꝫ enitendum potius (ut mea fert opinio) eiſdem artibus maiorum ueſtrorum, quibus parta, atq; longe aucta, ueſtra maieſtas eſt rempublicã adminiſtrare, ueſtra beneficia & acquiſitum nomen fidiſſimarũ gentium, libertatemq; ueſtram, & regum ac principum gratiã, atq; pacẽ placidiſſimã curare. Cõtra alius ita aiebat. EGO Quidẽ. P. C. primus auctor pacis eſſem, ſi ea aut bellum proponatur. Sed ne uos ſeducat nomẽ pacis ſemper blandum & amabile, longe aliud eſt, quod eligere debetis, aut bellum uobis perrnicioſum, aut bellum uobis utile. Si enim amplas Regis romanorum conditiones accipietis, cum amplitudine rerũ ueſtrarum bellũ geretis. Aliter rege gallorũ auctore multorum regũ, proculdubio bellum inſtat. Ecquid

apud nos in incerto res eſt. Vidiſtis enim pauloante in nos confectum id fœdus pro infecto habitum, non quia fictum eſſet, ſed quia regnũ Britaniæ Duci Burgundiæ non cederet. Adicite ad hæc nuper tentatæ coniurationis indubios teſtes, oratores ueſtros germaniæ, Petrum Paſcalicum, & Vincentiũ quirinũ. Et quid teſtibus iſtis egetis? ſi hoc ipſum apud nos Regis romanorum oratores Cardinalis Brixinenſis, & Archiepiſcopus Treuerẽſis frequenter aiunt, & Regis gallorum obſignatas litteras oſtẽdũt cõiurationis futuræ monimenta certiſſima. Quod ſi ita ſe res habet, ut liquido patet, uos conſilium antecapere debetis. Vſq; adeo ſemper licitum eſt par pari reddere, & merito omni genere animantium, a natura tributum eſt, ut ſe uitam corpuſq; tueatur, & declinet ea omnia, quæ nocitura uiderẽtur, atq; in ſenatu præcipue omnis quæſtio in rationem utilitatis debet cadere. Sic autẽ utile uobis eſt germanos ſocios potius habere, quia cito parta uictoria quieſcetis, & Mediolani Dux erit Maximilianus Sfortia. Quod ſi etiã diutinum bellum eſſet, ſupererunt ſaltem cum germanis mutua commercia, & uobiſcum erit etiã Rex hiſpaniæ, quãdo amborum unus Dux Burgũdiæ hæres eſt. Neſcio quo noſtro fato. P. C. in re tã certa magnos uiros allucinari, & reipublicæ obuiam ire, ut aliquãdo dubitem, ne eorum apud nos auctoritas rationem ſubuertat. Quis enim alioquin putet, gallis fidem ſeruãdam eſſe, qui fidem fregerint? Quis uana

ſimulachra

ſimulachra ſibi effingat, odia uetera, & nouas inimicitias Regis gallorum & Romanorũ? cum inter eos antea conuentum ſit, & Reges ſola utilitate ducantur. Quis dicat pecuniis parcendũ eſſe, cum aliter ſimul cum ueſtris opibus, imperiũ & res ueſtræ non tutæ futuræ ſint. Quis opinetur gallos rem ſuam nõ agere, ſi poſſint ueſtras urbes etiam capere. Iſta ſunt quæ præferre nos decet, & cauere anteꝗ̃ eueniant, ne ſi contra ſpem eueniat, fruſtra Deos incuſetis, & uos facti ſero pœniteat. Neq; enim ſpes & ratio ſalutis ſupererit, ſi ueſtra negligentia, Reges iterum cobeant in amicitiã. Capeſcite. P. C. rẽpublicã in tanto rerum ſummarum diſcrimine, dum tempus opportunum habetis, & adhuc integrum eſt cauere tanta belli ſæuiſſimi pericula. An pacem aliquo pacto ſperare poteſtis, ſi bellum molimini, & uenientibus germanis, uultis obſiſtere. Ea profecto potius belli cauſa credenda eſt, ut Rex romanorũ laceſſitus iniuria, in uos cum gallis facilius conueniat, & Iulius Pontifex ut ipſe ait, uenenũ bibat, nobis futurum accerbius. Et mirũ quidem nos tam ſæpe putare nobis profuturum amice pariter cum omnibus agere, cum tã ſæpe cõtra eueniat, & omnes putent contra ſe illum eſſe, qui ſecum non eſt, & qui non colligit diſpergere. Igitur quia pacem nuſꝗ̃ eſtis habituri, bellũ ſuadeo, & amplas conditiones Regis romanorũ accipere. Sic enim reipublicæ optime cõſuletis, & citius expedietis, bellum nobis utile, ꝗ uos facturos, omnino confido, niſi

pluſq̃ ratione, fato in contrariũ ducamini. Poſtq̃ di-cendi factus eſt finis conſuetum ſtudiũ ſeruandæ fidei ſuperauit, itumq; eſt in eam ſententiã, ut fœdus ſan-citum ſimul cum gallis ita inuiolatum ſeruaretur, ne aliquo pacto germani hoſtes haberẽtur. Verum Rex romanorum ſupraq̃ oportuit id ægre tulit, atq; ſta-tim bellum mouit, Cadubriũ cepit & diripuit, pari-terq; urbes finitimas aggreſſus eſt, & perrexit agros uaſtare & prædas agere. Contra Veneti neceſſitate compulſi ſunt ſociis auxilio eſſe, hoſtibus obuiam ire. Deniq; ad Cadubrium præliũ conſertũ eſt, & ger-mani omnes ad unũ crudeliter cæſi ſunt. Atq; am-plius Liuianus cum legato Georgio Cornelio ea ui-ctoria nauiter utebatur, & iccirco ſtatim recepit de-ditione Cadubriũ, Regiſq; romanorũ multa oppida, & deniq; Goritiã & Tergeſtum expugnauit. Parte alia belli uis maior incũbebat, & Venetorũ gallorumq; iunctæ maiores copiæ Regi Maximiliano ueniẽti per Tridẽtum acriter obſiſtebant, ut tandem ille rerum difficultate moueretur de induciis agere. Et diu qui-dem per Zachariã Contarenũ legatum Venetum, & Gallum Carolum Zuphre, cum Legatis Cæſaris ad Ripam oppidum actum eſt. Sed deniq; ſine inter-uentu legati Regis gallorũ inducias in trienniũ pacti ſunt, quia germani alioquin nolebant comprehendere Ducem Geldriæ, quæ olim Sycambria dicebatur, & nos frequẽter deinduſtria uſi ſumus iſtis prouinciarũ, regionũ, oppidorũ, urbiũ, & locorũ ꝓpriis nominibus,

quibus nunc utimur, ut omnes facilius intelligerent, et Veneti nõ tenebãtur de iis agere, quæ ultra montes haberentur. Inde tamen eſt quæſita ratio diſcordiæ, adeo galli Venetos ſocios nuper indignabantur, & non amplius æqua ex æquo uolebant, ſicut illis ſolet accidere, qui mutua ſocietate frequẽter abuſi ſunt. Illud uero inter Reges præcipue quærebatur, quomodo quiſq; ciuitates Venetorũ reciperet, quæ aliquo pacto ad ſe ſpectare uiderentur. Et quidem Iulius Pontifex Venetos ciuitates habere Ariminum & Fauentiam æquo animo ferre non poterat, & quia propriis uiribus eas recuperare non poſſet, de conciliando Rege romanorum & gallorum cum heluetiis agebat. Rex autẽ Maximilianus deſperatione ductus declinabat ad gallos, tum quia cum Venetis rem infœliciter geſſerat, tum quia cum eis nulla ratio pacis haberetur. Regem uero hiſpaniæ Regis romanorum uoluntati oportebat acquieſcere propter metum Ducis Burgũdiæ, qui alioquin iturus in hiſpaniã uidebatur. Igitur inter eos actum eſt, & uentum facile in Venetos ad fœdus Cameracẽſe, & hæc hactenus de induſtria cõpendio complexi ſumus, quæ alii diffuſe ſcripſere, quia iſta non intendimus, niſi quantum ad noſtrum bellum iſtud Cameracenſe facere uiſa ſunt. Et quoniam res poſtulat de Venetis dicere, dicemus ea breuiter quæ ad propoſitum facere uidentur. SATIS CONSTAT Venetiã prouinciam dictam fuiſſe ab Henetis quæ gens Paphla-

gonum cum Antenore in Italiam uenit, & quoniam Gothico Hunicoq; tumultu inde paſſim in inſulas migratum eſt, ubi ſedem primariã poſuere, quaſi uenientium tutiſſimũ refugiũ merito Venetias appellarũt. Et primũ a Patauis riuũ altũ inhabitari ceptum eſt, atq; ex agro patauino qui aufugerant in littoribus Medoacum, Foſſamclodiã, & Albiolã, Aquileienſes Gradum, Concordienſes Caprulas, Altinates ſex propinquas inſulas cõdidere. Et quidem illæ in dies frequẽtiores fiebant, quia boni mores colebãtur, & ſine libidine & auaritia cum maxima cõcordia & æquitate adminiſtrabatur reſpublica. Aſciti in urbem nouam præſertim naualis fabricæ & rei maritimæ periti, eam rem ſumma ope curabant, & uacabãt maxime cõmerciis. Nãq; iſta pars eſt Italiæ amœniſſima & pulcherima, ſita ad mare affluum, irrigua fluminibus, lacubus, ſtagnis, ſaltibus, nemoribus, agrorum ubertate, frugumq; omni genere copioſa, & conuehendis mercibus ualde accomoda. Igitur omnes pariter loci opportunitate utebantur. Alii quibus fortuna amplior erat, aut nouis inſtitutis ciuitatem formabãt, aut peragrabant orbẽ mercimoniis. Alii quibus domi anguſta res erat, peregrinas merces in mediteranea conuectabant. Alii piſcationibus & ſalinis. Alii alio modo uictum quærebant. Delecti primũ qui plus ſaperent annua imperia, & ſinguli in ſingulis inſulis reipublicæ conſulebant. Ii curæ ſimilitudine appellabantur Tribuni, quia tribuerent unicuiq; quod ſuum

eſt. Poſt ubi longobardico tumultu tribunitia poteſtas in ſeditionẽ ciuilem ſe conuertit, mutato more nouum Ducem fecere, penes quem eſſet omnis decus & maieſtas imperii ſimul cum tribunis & aliis, qui rogabantur cõſultandi gratia accedere, quotiẽs de republica ageretur. Illi uero optimi quiq; legebantur, & ſcientiſſimi earum rerũ de quibus pro tempore agendum erat, et quorũ animus in conſulendo liber eſſet, & nulli libidini obnoxius. Neq; difficultas erat eligere, quando omnium ingens amor uigebat erga rẽpublicam. Accedebat maximũ æquitatis ſtudium, & religionis cultus præcipuus, atq; honores probitati & uirtutibus dabantur. Cæterũ plæriq; corpus ſuũ naualibus officiis exercebant, & in illis præcipue uolebant excellere, atq; ideo talibus uiris nihil aſperũ aut arduum uidebatur, quia nemo uitabat maris pericula, & ſicut quiſq; maxime negocioſus erat, ſic quiſq; belli laboribus aſſueuerat. Sed poſtq; his artibus res ueneta opibus & ciuibus accreſcere uideretur, ex finitimis multæ difficultates ortæ ſunt. Nãq; primo iſtri, liburni, & dalmatæ maritimis latrociniis tentare, deinde longobardi galli ſaraceni huni & gothi terra mariq; maiori bello laceſcere. At Veneti intenti paratiq; hoſtibus obuiam ire, libertatem patriã parentes tueri, præſertimq; pyratas inſectari, & ſaracenos propellere, qui quotannis ſoliti erant totam Italiam diripere, unde Venetis ſinus Adriatici merito acquiſitũ ius dicitur, quia uirtute hoſtes ec-

cleſiæ frequenter propulerāt. Deinde cum domi pacatæ res eſſent, illi etiam libenter portabant finitimis auxilia, & aſſidue conabantur eos placare, molire animos, conciliare in amicitiam, odium & inuidiam beneficiis uincere. Succiſſiuis tamē etiam temporibus uario euentu pugnatum eſt cum Græcis, Veronēſibus, Patauinis, Ferrarièſibus, Tergeſtinis, Aquileienſibus, Piſanis, Anconitanis, Bononièſibus, & cum Liguribus maximis odiis annis centū & amplius bellum exercuimus, atq; in eo bello liguſtico quia Theodorus nimis ſimilis Georgio uidebatur, in Deum tutelarem Marcū euangeliſtam ſuffecimus. Inſuper cū Turcis ſæpenumero bella aſpera gerebātur, & ſemper fuimus antemurale Chriſtianæ eccleſiæ, ut niſi nimium digrederer a propoſito, poſſem equidem de Venetis multa præclara facinora dicere, uictas gentes, captas urbes, diſiectas claſſes, Regna edomita, dum terra mariq; bello acriter ageretur. Nāq; forte etiam nō iniuria Venetorum res geſtæ domi & militiæ ſatis amplæ & magnificæ uidere poſſēt, ſi Venetiis fuiſſent quantum collibuit extollendi præclara ingenia. Verum priſcis Venetis potius curæ erat facere q̃ dicere, ingenium ſimul cum corpore exercere, domi frugalitatē, rempublicā, libertatē, amicitias, in primiſq; iuſtitiam excolere, foris audacter arma capeſcere, pericula ſubire, male mori quā ignominiā pati. Sed mortuo Thoma Mocenico meo atauo ſub quo Duce res Veneta pace opibus probitate ho-

minum, & bonitate artium floruerat, ſucceſſit Franciſcus foſcarus & bello Philippico impliciti ſumus, poſthabito mari & cōmerciis, unde uirtus diuitiæ et bona multa prouenerant, atq; amplius ceptum eſt diſſidere cum Regibus, & de bello in bellum ibatur. Vſq; adeo animū aduerterunt ad continentē & deſtituerunt mare opiferum, atq; labefactati animi & capti continentis luxuria facile diuerterunt a laboribus ad delitias. Itaq; dum Turcis parum obuiam iretur, illi potuerūt in magnū imperium creſcere, totam Thraciam & Græciā ſubigereatq; noſtras urbes maritimas capere & diripere. Neq; enim Veneti poterant contra Turcas ſufficere, quādo uariis bellis in continenti tenerentur. Et illud maxime periculoſum fuit, q cū Hercule Duce Ferrariæ & tota Italia geſtum eſt, atq; illud magis inuidioſum, quando ciuitates Apuliæ in pignus habuimus, urbeſq; Ariminū & fauentiā cepimus. Sed illud ſuſpitione non caruit, quod uoluimus in Florētinos pro Piſanis bellum aſſumere, atq; ideo Ludouicus Sfortia gallos primū in Italiam accerſciuit, & bella alia orta ſunt, atq; iſtud deniq;, cum Reges romanorum & gallorū dominādi Zelotypia ducerentur, & Patres rogati nunq̃ ſatis oſtenderent, quarū partiū futuri eſſent. Has reor irarum & belli futuri cauſas fuiſſe, aut potius ſine cauſa Rex gallorum uolebat mouere in Venetos, quia & antea ſimile fœdus pepigerat. Sed illud facile ſolutū eſt, cum galli proceres non paterētur regnū Brituniæ

Duci Burgundiæ cedere, atq; iſtud identidē Veneti diſturbare primo quoq; tempore nitebantur, & quia multum refert quarum partiū Pōtifex eßet, protinus illi in eā ſentētiā litteræ dabātur. NON AB RE factum ſumme Pontifex putamus ſi modo apud te de bello & pace in quæſtionē uenit. Nāq; tu caput religionis Chriſtianæ iuſta ab iniuſtis merito debes ſecernere, atq; uidere, ne iniuſte quiſq; agat. Et nūc maxime intereſt iſta regem contra nos inopina uincula dißoluere, ſi Rex gallorum hoſtis nobis noſtra culpa non eſt. Neq; enim ſolum de nobis agitur, ſed etiam de tota Italia, quando Rex gallorū præcipue cupit totā Italiam ſubigere. Nos uero contra facturi ſumus quantum in nobis eſt, ſed oportet ſicut intereſt ueſtra omniū principū Italiæ, ſic uiciſſim etiam ueſtris auſpiciis agere, & non expectare aliquando calamitatem ad uos uenturā, ſi neglexeritis, & putetis hæc ad uos ipſos nō pertinere. Igitur quid noſtra & tua interſit tu in primis ſumme Pōtifex uideris. Nāq; iſta mala opus eſt tempeſtiue cauere non minus uelle q̄ poße. Poſſe uero facile eſt, ſi modo uellis. Velle autem debes, quia bellum inimicū tollere, & pacē amicam dare, te decet præcipue, cuius propriū eſt ſemper pacis auctorē eſſe. Pari modo cum Rege angliæ per Andreā Baduarium oratorem agebatur, ſi uellit cōtra gallos irrumpere. Cum Rege autem germaniæ & hiſpaniæ Veneti quantum dici poteſt omni officio uſi ſunt, ſi poſſent res omnes cōponere. Sed cum fru-

ſtra fierent omnia ſimilia, illi deniq; conuerſi ad rē publicam ſedulo bellum parare, arma expedire, urbes munire, & nihil earum rerum relinquere, quæ bello futuro uſui fore uiderentur, & præſertim intercidebant itinera, & ducebant aggerem ad ſaltus, unde in germaniam itur. Poſtea commeatus, homines, equi, currus, & iumenta omnia cenſa ſunt, & delecti omnes pedites agricolæ e regionū ordinibus, qui ſemper ad bellum inſtruebantur, atq; amplius in tanto rerum turbine exteræ nationes quæſitæ ſunt. Sed nemo uenit ex ſuperiori germania, neq; ex Panonia Michael frangipanes Ioānes comes corbauiæ & Bothandreas præfectus liburniæ cum mille quingentis leuitibus. Neq; uenerunt ex Roma Duces Vrſini & Sabelli cum trecentis quinquaginta militibus ut conuenerant. Aliter e Creta magna uenerunt Zagdari, ſagittarii agreſte ac ſemiferum genus hominū, & ex peloponeſo, ac tota græcia Illiria, Liburnia, Dalmatia, Myſia, Macedonia, equites leuis armaturæ ſtratiotæ, pilleati haſtati, atq; ex tota Cāpania & Apulia delecti pedites paſſim in caſtra Veneta confluebant, & deniq; omnes copiæ Venetorū tribus millibus militum, quattuor millibus leuitum, & triginta millibus peditum cenſebantur. Non tamen fortaſſe ut par erat, in hoſtem ad flumen Abduam omnibus copiis ibatur, ſed partitæ oēs erant, ad Fauentiā quingenti milites, totidē leuites, & quinq; millia peditum, ad Veronā totidem, ad Forumiulii quingenti haſtati

equites, in Iſtria quoq; ad mille peditum ordines adſcripti ſunt. Inſuper in lacu benaco Zacharias lauretanus præfectus claßem non contemnēdam habebat, ut ea comprimi poßet, ſi repente aliqua uis ingruat ex germania. Et quia ſimul cum Pontifice Dux Ferrariæ & Rex hiſpaniæ hoſtis erat, & paſſim terra mariq; bellum enixe parabatur, Apuliam prouinciam Ioannes Maurus cum claſſe quadriremiū ſortitus eſt. Laurentius Sagredus cum armatis cymbis littora flaminiæ, & Sebaſtianus maurus cum padana claße proxima flumina. Cœteræ omnes copiæ caſtrametatæ fuerant ad Pontēuicum. Cui ſumma in caſtris rerum demandabatur primarium ducē agebat Pitiliani Comes Nicolaus Vrſinus uir prudētia, & longa rerum bellicarum experientia celeberrimus. Pariter gubernatoria poteſtate fulgebat, Bartholomeus liuianus lingua & manu promptus, nec non multi peritiſſimi ductores erant, ſimul cum legatis Georgio Cornelio & Andrea Gritto. Poſtea de belli ratione frequēter agebatur, & quidem optimus quiſq; diutinas mores incuſare, ſimul ac omnia parata ſunt, ut egregium quantū uis facinus fœliciter aggredi poſſent. Igitur dicere pro militum honore et gloria, pro Venetorum re & amplitudine proficiſcēdum eße uerſus flumen Abduam, ubi cōſultaretur quid agendum eſſet, ſtandum ne, an ulterius eundū, pro ut tempus exiget, & oblata occaſio uideretur, atq; ea excipiens Imperator exercitus conuocata cō-

cione ita locutus eſt. VIDEO libenter in uobis Milites uirtutem Italiæ, & cum adeo ad bellũ ac-cincti ſitis, uobis in mentẽ uenire exiſtimo, quomodo uictorem exercitum Caroli Regis gallorũ ad Tarrum fluuium fudiſtis, fugaſtiſq́. Illud quidem difficilius fuit, quia hoſtis erat integer uiribus & exultans uictoria. Nunc uero longe facilior uobis res eſt, cum eiſdem uictis hoſtibus, qui nuper prætergreſſi iuga alpium inter ſaxa & rupes illiſi contuſiq; ſunt, atq; fame, illuuie, & ſquallore, ipſi enecti, arma quaſſata & fracta, claudi equi & debiles, ut uos uictores, cũ uictis, uos integri, cũ debilitato pedite & equite pugnaturi ſitis. Macte uirtute ueſtrũ quiſq; eſto habiturus quicquid petit, atq́ eum animũ gerat, qui uictoribus aduerſus uictos eſſe ſolet. Quod ſi Dii fœderum arbitri antehac Caroli Regis gallorum cum Alexandro Pontifice uiolandũ fœdus ulti ſunt, multo magis Ludouico Regi gallorum debent eſſe irati, atq́ infeſti. Si quidem is fœdus cum Venetis rite ſancitum uiolauit, atq́ dolo malo hoſtis eſt, ea tantũ de cauſa, & nimia dominãdi cupidine, qua ſimiliter cæteris omnibus nationibus hoſtis eſt. Atq; utinã uobis hoc tantum certamen eſſet pro aliena libertate, de qua quõdã agebatur. Sed modo pro ueſtra ſalute pro libertate Italiæ uobis pugnãdũ eſt, neq́ eſt alius a tergo exercitus niſi uos uincatis, qui poſſit hoſtibus reſiſtere, neq; alpes aliæ ſunt, quas dum hoſtis ſuperat, noua præſidia comparari poſſint. Igitur ut ultis

ad flumen Abduam eundum eſt, atq; acriter obſiſtē-dum Milites, uelut ſi ante Venetam urbem pugnemus. Vnuſquiſq; ſe non corpus ſuum, ſed coniugem ac paruos liberos armis putet protegere, nec domeſticas curas ſolum agitet, ſed identidem hoc animo reputet, Patres Venetos, qui ſemper nos alunt, noſtras manus, nūc intueri, qualis noſtra uis, uirtuſq; fuerit, talem deinde fortunam illius urbis, & Venetæ Reipublicæ fore. Sic ille milites hortatus eſt, & deinde uerſus amnem Abduam ibatur, atq; utinam anteq̄ Rex gallorū & omnes copiæ ueniſſent, Venetæ iam tum inſtructæ acies, in fines hoſtium acriter proru-piſſent, neq; in tanta rerū bene gerendarū occaſione, tantum prohibuiſſet, uetus inſtitutum & ſtudium, nō irritare, & potius propulſare, q̄ inferre iniuriā. Aliter hoſtes enim ea occaſione uſi ſunt, nō ignari quāti momenti ſit, ſemper hoſtem anteuenire, & in alieno ſolo bellum gerere. Itaq; primo quoq; tempore apud amnem Abduam inter finitimos, nuper contumelioſis uerbis agebatur, deinde miſſilibus telis & tormē-tis militiæ, deniq; paſſim uario euentu pugnabatur, & hæc belli prima præludia fuere. Poſtea uero maioribus copiis geſta res eſt. Nāq; Mediolani magnus magiſter Carolus damboſia, cum centum quinquaginta millitibus, ducentis leuitibus, & tribus millibus peditum, amnem Abduam repente traiecit, & pulſis Venetis parabat oppidum Triuilium capere, quod cum oppidani uidiſsent, maluerūt oppidū dare,

& Venetũ præſidiũ prodere. Itaq; ductores ambo, Vitellus & Vincentius naldius uenerunt in poteſtatem hoſtiũ, ſimul cum comite Brazio, & Iuſtiniano Mauroceno præfecto leuitum. Deinde hoſtes facile digreſſi ſunt, agros uaſtare, & prædas agere. Nãq; paſſim fuga ex agris in ciuitates fiebat, & amplius multi cum coniugibus & liberis impune in ciuitates hoſtium ibant, & uicina oppida, ut cum hoſte prius conuenerant deditionem facere feſtinabãt. Aliter tamen apud oppidum Carauagiũ, contra hoſtes acriter ſtabatur, quia aduerſus oppidanos Bernardinus taiapetra præfectus recepit ſubſidium, & cum hoſtes ſigno dato prope oppidum ueniſſent, re infecta repulſi ſunt. Interea etiã Marchio Mantuæ Franciſcus Gonzaga cum Boiſenſi Domino, & trecentis millitibus, quingentis leuitibus, & mille peditibus, in fines Venetorum prorupit, & ingentẽ prædã egit uerſus oppidum Caſalemaius, atq; illud etiã ſtatim cepit proditione ciuiũ ſimul cum Aloyſio bono doctore præfecto illius oppidi. Ille tamen alioquin nunq̃ potuit, Aſulam oppidum capere, quia Federicus contarenus præfectus, oppidani, & mercenarii milites ire obuiã hoſtibus auſi ſunt, & ille compulſus eſt, ad tuenda propria redire, ſimul ac Barthólomeus liuianus cum quadringentis militibus, trecentis leuitibus, & quattuor millibus peditum, ad Pontem mollarũ uenit, atq; inde obuiam uiciſſim ſtabatur, & frequenter agebatur leuibus certaminibus. Parte alia Pontifex Iulius,

armis ſpiritalibus, & cenſuris eccleſiæ, in Venetos etiam uſus eſt, neq; ſegnius armis temporariis agebatur. Nãq; Dux Vrbinas, cum quadringẽtis militibus, totidem leuitibus, & octo millibus peditũ, Venetorũ fines ingreſſus eſt, agros uaſtare, prædas agere, domos cõburere, in pueros & mulieres ſæuire, atq; feſtinare in oppidũ uallis lamoniæ. Eſt oppidum Brixegella, ad montem ſitum, loco natura munito, præſidio ſtabant octingenti pedites, atq; omnis exercitus Venetorum per mille paſſus proximũ collem occuparat, ut ſemper ſubſidio eſſe poſſet. Sed hoſtes poſitis inſidiis in propinquo nemore, pauci ad oppidum accedunt, & hoſtem ad leue certamen inuitant, certatũq; eſt diu marte ancipiti, donec uenerũt ſubſidio ex caſtris Venetis ducẽti equites leuis armaturæ, deinde oppidani rati poſſe uincere, eruptione repente facta hoſtem inuadunt, neſcii multos in inſidiis latere, & ſubſidio hoſtibus protinus fore, ut uero accreuiſſe illico hoſtium numerum uident, atq; opprimi multitudine, uix obſiſtunt, & retrocedunt in oppidũ, quos inde fuſos fugatoſq; hoſtes inſecũtur, & pariter p portam turris in oppidum uadunt. Igitur ea occaſione ui captum oppidum eſt, & deinde ad caſtellum admota tormenta militiæ, & proiectis in terram parietibus atrox certamen obortũ eſt, quia Veneti milites fortiter in hoſtes agunt, cum Andrea baſilio prætore, & Ioanne Paulo manfrono Duce exercitus, & hoſtes repulſi ſunt iterum atq; iterum. Illi tamẽ denuo ma

gis magiſq; obnixi conabantur in caſtellum uadere, & parabant illud ui capere, niſi oppidani feſtinaſſent deditionem facere, atq; Andreas baſilius, cum Ioāne Paulo manfrono in hoſtium poteſtatem uenit. Capto oppido omnis exercitus Pontificis ibat ſimiliter Ruſſium oppidū oppugnare, iamq; tormētis militiæ mœnia acriter quaſſabantur, & muri paſſim cadebant. Contra oppidani & ſeptingenti pedites, hoſtibus obſiſtere, colapſa mœnia reparare, & munimēta adſtruere, deniq; hoſtes per diruta mœnia parabant in caſtellum ire. Et ecce fuſi pabulatores referunt, Venetos ex Rauenna ſubſidio oppidanis uenire, quo fit ut eo hoſtium arma conuerſa ſint, præmiſſi leuites obuiam manum conſerere, neq; Veneti certamē detrectant, certatumq; eſt marte ancipiti, quouſq; equites grauis armaturæ uenerunt hoſtibus ſubſidio. Nāq; inde a Venetis ceſſum eſt, & Ioānes græcus ex equi lapſu in hoſtium poteſtatem uenit, unde oppidanis timor, & hoſtibus creuit audacia, atq; illi ſedulo lignamina, & oppugnādi oppidi, quæcūq; eſſent utilia parabant. Oppidani uero quia nulla ſpes ſalutis ſupererat, deditionē fecerunt, atq; excompacto in fidem recepti ſunt, & militibus conceſſum eſt, quo uellent impune diſcedere. Dum iſta fiunt uenerant Rauennā & Ariminū, Hanibal & Hermes bentiuoli, & conabantur accerſcere ſuæ factionis bis mille pedites, & quingentos equites, ut talibus auxiliis, ſi poſſint Bononiam ſubuertant. Verum paulopoſt ſuperſederunt id

facere, deſperatione ducti, quia iam Fauentia deſciuerat, & uaſtatis paſſim agris, urbs Rauenna acriter obſidebatur. Igitur Patres paſſim laceſſiti iniuria pro uiribus obſiſtere, omnia tueri, cuſtodire, curare, præcipueq́ uerſus flumen Abduā, atq; illuc animum aduertere, ubi ſumma rerū, & belli totius maius onus uidebatur incumbere, frequenter e ſenatu conſulto Duces ambos, atq́ ambos legatos in caſtris obteſtari cōmonefacere, in tanto rerum diſcrimine, nihil eſſe aggrediendum temere, ſed in rebus cunctis agendū eſſe, quam oculatiſſime, & q̄ tutiſſime, ne aliquod detrimentum reſpublica pateretur. Itaq; eo ſtudio ſub ſignis, & ſub ordinibus militiæ, inſtructæ acies Venetorum, uerſus flumen Abduam ibant, & cum primum prope amnē ueniſſent, oppida omnia, quæ prius ad hoſtes deſciuerant, deditione redierunt in fidem priſtinam, atq; hoſtes ultra flumen Abduam, facile fuſi fugatiq́ ſunt, & deinde ad Ripaltā oppidum ſtabatur, tantiſper dum iterum in mētem uenit in oppidum Triuilium ducere. Igitur quia multum refert, in quorum poteſtatem ripaltæ locus eſſet, inde repulerunt omnes oppidanos, ab annis quindecim ad ſeptuaginta, ſi quidem de illis ſuſpicabantur, & iuſſi ſunt trecenti pedites, & quinquaginta equites ſubſidio ſtare, itumq́ eſt uerſus oppidum Triuilium, leuigatis prius itineribus, & rebus cunctis ex ſententia probe compoſitis, ſub ſignis & ſub ordinibus militiæ, ac ſi protinus cum hoſte confligendum eſſet. Totus

exercitus

exercitus quadruplici acie conſtabat, quarum quaslibet continebantur, leuis armaturæ quingenti equites, & totidem equites grauis armaturæ, ac peditũ ſupra quinq; millia. In prima acie & in ipſo ſincipite Pitiliani comes erat, ſubſequebantur multæ fuſiles machinæ plurium formarũ & nominum, ſimulq; ordines cuſtodibant, duæ itidem magnæ acies intermediæ, deniq; in extrema acie, & in ipſo occipite, Liuianus ſubſtes erat, qui illico præſtes factus eſt, ſimul ac prope oppidum uenit, quod ſitum eſt, loco paulo eminẽtiori, haud longe diſtans a flumine Abdua, & amplius probe munitum erat, armis uiriſq;, ſexaginta gallis militibus, & mille quingentis peditibus. Igitur oppidani ſimul cum aduenticio milite, intrepide præ mœnibus ſtare, factoſq; Venetos in cõſpectu propius ferire tormentis militiæ, telis miſſilibus ſummouere, & nihil tutum munimentis pati, deinde delecta iuuentus, ubi plurimũ periculi, & laboris oſtendebatur, ibi ui maiore obſiſtere, faciliuſq; id agere, e turri p̃alta, quæ oppido, & ſubgetis oppido campis, longe proſpiciens imminebat. At Liuianus ut conſulto cæteros anteuenit, uerſus Caſſianum locum delegit affigendis machinis contra turrim, & partẽ muri, quæ debilior uidebatur. Et primo quidem tormentis militiæ acriter geſta res eſt, deniq; oppoſitæ fores, & repagula oĩa dirupta ſunt, & turris quaſſata, ac muri pars ingens cum ingenti fragore prociderat. Acrius inde obortum prælıũ eſt, et iam iunctæ

acies, quaſi patenti campo, inter ruinas concurrunt. Horum animos ſpes potiundæ uictoriæ accendit. Illorum ſuarum rerum deſperatio irritat. Diu anceps certamen ſtetit, demum Veneti multitudine uincebant, & ſublato repente ingenti clamore, hoſtem in ruinas muri expellunt, indeq; impeditum, & trepidantem, loco deturbant, fuſum fugatūq; intra mœnia redigunt, atq; inter primos Dionyſius naldius, cum peditatu lamonio, primū hoſtiū oppidi ingreſſus eſt, ut exercitui Veneto, aperti aditus paterēt, & uideri facile poſſ.t, ſpem omnem oppidanorū ſitam eſſe, in auxiliaribus copiis ſuorum, quos ad ferēdas ſuppetias frequentibus lampadibus accerſcebāt. Neq; mora fuit in gallis ſociis, quia illi ſtatim uenerunt ſubſidio, neq; noſtri recuſarunt factam copiam pugnādi, immo tantis animis & uiribus obuiam itum eſt, ut non abſq; aliquātula ſtrage eorum, hoſtes ultra flumen Abduā in fugam conuerſi ſint. Igitur ut prius contra Triuilium oppidum ſtabatur, & acriter agebatur tormētis militiæ, quia iam nox incubuerat. Quod cum uiderent Ductores hoſtium, rati non expectandū amplius, nocte intempeſta ultro uenerunt ad colloquium & demiq; conuentum eſt, duces gallorū captiuos eſſe cæteros milites inermes abire, atq; prædæ oppidum fore, Dionyſio & peditibus lamoniis, quorum uirtus in eo bello maxime emicuit. Hinc ſine ordine, ſine imperio, pariter omnes milites, ad prædam diſcurrere, diripere, āplius ſub ſignis, & ſub ordinibus neq; ſtare

neq; iuſſi redire, quinimo multi onuſti præda domũ abierunt, ita e Cremona, Crema, Brixia, & Verona, oportuit ſupplementũ exercitui mittere, ut eiuſmodi triuiliana uictoria, plus mali q̃ boni attuliſſe uideretur. Si quidem dum peragitur fœdum, exilium, ſenum, & iuuenum, mulierum, & puerorũ omniũ, qui loco cedere cogebantur, & miſerabile ſpectaculum urbis, quæ ſolo æquata eſt, inter milites multæ diſcordiæ ortæ ſunt, & amplius ut opus erat, non iuerunt obuiã hoſtibus, dum illi ponte, & anguſto calle flumen Abduam impune traiicerent. Nãq; nactus eã occaſionem Rex gallorum, q̃ tutiſſime cum innumeris tormentis militiæ, totum exercitum traduxit, pluſq̃ centum millium hominum, præter enim exercitum Marchionis Mãtuæ, & copias mediolanẽſium in caſtris erant, cum Rege comprehenſis ducẽtis nobilibus, mille octingenti milites, & enumeratis tribus millibus heluetiorum, quindecim millia peditum. Igitur tantæ copiæ gallorum trans fluuium in conſpectu hoſtium locũ caſtris elegerunt, munierũtq; uallo & foſſa faberrime, poſtremo galli nihil intentatum relinquere, quod exercitui cõſeruãdo expediẽs foret, uigilias & excubias pro caſtris ponere, undiq; exploratores mittere, modo leuia concire certamina, & uario euentu, in ea ſtatione comiciaria duorum exercituum, frequenter pugnare, modo aquas omnibus locis adimere, ut tuto loco Venetos deturbent, modo occultis itineribus, per ſiluas & nemora, alõge

caſtra hoſtium circuire, modo inſidias locare, atq̃ omnibus modis tentare, ſi poſſent aliquo pacto Venetos hoſtes decipere. Sed cum parum prodeſſe uis occulta uideretur, palam agendum rati, cum parte copiarum, in patentes campos uenerunt, & fecerunt Venetis copiam pugnandi diei hora uigeſimaſecũda qua milites forte cœnabant. Acriter tamen ad arma conclamatum eſt, atq; itum ſtatim ſub ordinibus militiæ eodem ſucceſſu, quo antea leuioribus præliis ſemper ſuperiores extiterãt. Nãq; & nuper identidẽ hoſtes uſq; ad tẽtoria fuſi fugatiq; ſunt. Deinde galli aliud ſtratagemma fecerunt, & caſtra mouerunt ad Ripaltam oppidum, quod paruo diſcrimine ui ceperunt, æquaruntq; ſolo, & inibi caſtrametati ſunt, atq; ad Venetos ire iubent tubicinem, & referre, quẽadmodum galli ad pugnam parati ſunt, ad quam Liuianus, Regem antea popoſcerat. Interea uero Venetorum pariter omnis exercitus, ut ſuis auxilio eſſe poſſet, Caſſiram oppidũ ſitum inter Ripaltã & Carauagium aliquanto ſerius uenit q̃ uolebat, ut duces & legati ſacius e republica ſtandum putarent, loco ſatis munito non pugnaturi, niſi neceſſitate compellerentur. Sed obiter hoſtibus acriter reſpondendũ rati ſunt, & reuerti ad ſuos tubicinẽ iubent, atq; referre identidem Liuianum ac omnẽ exercitum ualde animatũ eſſe ad prælia, & nunq̃ detrectaturũ pugnare aduerſus ſeruitutem gallorum, pro libertate Italiæ. Sed hoſtium uerbis facta non reſpondere, ſi quidem

potius quærunt latebras, & interſtitia, poſt flumina, poſt ſentes, & nemora. Si tãtopere cupiũt decernere quandocũq; collibeat, æquo & aperto marte prodeãt atq; habeant pro comperto, nullam moram in hoſtes Venetos fore. Itaq; uterq; exercitus uerbis colluctabatur, & toto illo die tertio idus maii, intra caſtra uallata conſiſtebat, ſemper habitis uigiliis pro caſtris, atq; ſtatis in locis præmiſſis ſemper exploratoribus. Galli uero non neſcii quantum interſit bellum adminiſtrare explorato & excuſſo conſilio, quia alioquin turpiter dicitur non putaram, diem illam, & totã noctem, ſemper armati inſomnẽ protraxere, plurima egerunt, quæcũq; uſui forent, præſertim per tranſfugas & exploratores, cõſilia omnia Venetorũ exacte ſcrutati ſunt, & probe intellexerũt, quacũq; ipſi pergant, Venetos ſecuturos eſſe, & nihil minus expectare q̃ prælium, quippe qui certo putent gallos amplius non auſuros ultro Venetos hoſtes inuadere. Igitur Rex gallorũ exploratis omnibus conſiliis & itineribus hoſtium, ſupra omnia ex opportunitate loci, quo manus conſerendæ erant, in ſpem potiundæ uictoriæ ductus eſt. Verum eam confidentiam hoſtiũ, maxime augendam ratus, præciſos multos arbores per itinera tranſuerſos apponi fecit. Poſtea iuſſis militibus ne quiſq̃ ordine egrederetur, atq; cunctis cõpoſitis ex ſentẽtia, ſub ſignis & ſub ordinibus militiæ, omnibus copiis, uerſus Pandinũ oppidum, exercitum Venetorũ antemouit. Erant duo, quæ ducebant Pan-

dinum iam antea leuigata itinera, ſuperius alterum, alterum inferius, alterum parum diſtans ab altero, in eo medio ſtabant conſerti uepres, & complicata arbuſta, locus repertus de induſtria, quia ille exercẽdis leuitibus, quibus Veneti pollebant, nimis anguſtus eſt. Itaq; galli paratiſſimi, quaſi ſemper pugnaturi eſſent, in hoſtes directis aciebus & tormẽtis militiæ, iuxta flumen Abduam iter inferius tenebant. Tum Rex ipſe modo in primo agmine, modo in extremo, ſæpe in agminibus mediis, hortator eſſe, & identidẽ omnes monere, obteſtari, ut memores ſuæ priſtinæ uirtutis eſſent, & ſe nomenq; gallorũ a Venetis hoſtibus defendant, dicere cum iis certamẽ fore, qui nihil tale ueriti ſunt, apud ſe quæcũq; bonum Imperatorẽ decet omnia prouiſa eſſe, ut prudẽtes, cum imperitis, plures, cum paucioribus, meliores bello, cum rudibus, manum confererent. Proinde parati intẽtiq; eſſent, ſigno dato hoſtes Venetos inuadere, illum diẽ certiſſime, nomen gallorum celeberrimũ confirmaturum, atq; bonarum & maximarum rerum initium fore. Ad hæc uiritim uti quemq; ob militare aliquod facinus egregium, pecunia aut honore extulerat, cõmonefacere ſui beneficii, & ipſum aliis oſtendere, poſtremo cuiuſq; ingenio pollicẽdo, minãdo, obteſtãdo, alio, & alio modo, alium, & alium ſummopere excitare. Liuianus autem cui prouidendi & imperandi, cura demandata fuerat, conſiliorũ gallorum hoſtium penitus ignarus erat, ſcilicet ut Ducis hoſtium con-

ſilia occulta eſſent, ipſi in caſtris ueteri inſtituto, ſignũ Minotauri gerebãt. Nãq; ac ſi hoſtes fuſi fugatiq; eſſent, & non de induſtria uincẽdi occaſionem quæſitum irent, Liuianus præter locum antecapere, nihil amplius curabat, nihil prorſus imperabat, quaſi non adhuc imperãdi tempus eſſet, ut pleriq; milites ſine galea, omnes ſine impio eſſent, atq; ita temere e regione hoſtibus, ſuperiori itinere ibatur. Iam uero Liuianus cum leuis armaturæ omni equitatu & inofficioſis tormentis militiæ, primã aciem hoſtium anteuenerat, cum ſigno repente dato, ceptum eſt audiri uoces gallorum inſultantiũ, & ubiq; a lateribus propulſantes machinæ, alii prætergreſſum primũ Venetorum agmen inuadere, alii medias acies acriter cædere, alii extremũ agmen tentare, ubiq; infeſti eſſe, atq; inſtare omnibus locis, Venetorum ordines conturbare. Et quidem primo quoq; tempore ordinum collectitiæ copiæ in fugam conuerſæ ſunt, & deinde Veneti multi milites, quid agendum neſcii, tormentis militiæ peribant, multi impetente milite ſauciabantur, neq; ipſi contra feriendi bellicis tormẽtis, aut conferendi manus, ullam rationem habebant, nulla ſigna, nullos ordines obſeruare, ſorte reſiſtere, ſorte omnia facere, nihil conſilio, nihil imperio agere. Facies tamẽ totius negocii dubia adhuc erat, dum Liuianus milites in unum conducit, ordines quantum poteſt reſtituit, cohortes peditum, aduerſus pedites hoſtiũ collocat, & ipſe cum delectis militibus præ

lium reuocat, cuncta circuit, omnia pertentat, hoſtibus inſtat, ſuis auxilio adeſt, ſimul orando, & hortādo milites, ne diffiderent, neu paterentur hoſtes uincere. Igitur Veneti milites optimi quiq; equites & pedites, tantam impreſſionem in hoſtes fecerunt, ut eorum acies inclinaret, facileq; appareret, Venetos potuiſſe uincere, niſi ductores alii res nouas etiā moliti ſint, & alii cum maiori parte exercitus, ne auderent quidem hoſtem conſpicere. Rex autem gallorum cum delectis equitibus & peditibus heluetiis ſuis illico ſubſidio uenit, & reſtitutū prœliū eſt, quod cum diu etiam anceps ſtetiſſet, deniq; Veneti cæſi fuſiq; ſunt, atq; omnia impedimenta & tormēta militiæ uenerūt in poteſtatem hoſtium. Liuianus quoq; captus eſt, qui antea cum ſuo equitatu, uim acriter ſuſtinuerat, necnon cum ſuis ueteranis peditibus interfectus occubuit, uir egregius Petrus montanus, cuius potiſſimum opera, non incruenta uictoria hoſtibus relicta eſt. Nempe q̄ Venetorum plures hoſtium equites grauis armaturæ deſiderati ſunt. Sed apud Venetos longe maior iactura peditum fuit, tanta uero equitum & peditum fuga, ut nemo præ timore ſibi ſatis conſtaret, aut uſq; uideretur poſſe conſiſtere. Ad Carauagium tamen aliquantum milites reſpirarunt, & uix tandem imperatoris opera, & legatorum diligentia, omnes exercitus reliquiæ, ac ingentes copiæ equitum & peditum collectæ ſunt, & uerſus Brixiā perrexerunt, ubi mili

tibus ſtipendium daretur, & cõſultaretur, quid agẽ-
dum eſſet. Sed ubi ea quæ in caſtris geſta fuerant,
Venetiis comperta ſunt, ingens dolor & metus ciui-
tatem inuaſit, pars re infœliciter geſta dolere, pars
inſolita rerum bellicarũ ſuæ libertati timere, omnes
inſenſi militibus eſſe, liuianũq; incuſare, quod Aemi-
lium potius quam Varronem imitatus, de republica
deſperaſſet, & capi maluiſſet, cũ poſſet ſubterfugere,
ꝙ Venetis auxilio ſupereſſe. Patres autem turbati
animis tot motibus uno tempore trepidabant magis
ꝙ conſulerent. Et primo quidem pro ſalute publica,
ſupplicationes indictæ ſunt, & ſuſcepta uota priua-
tim & publice, deniq; omnibus modis, pecuniæ cõ-
gerebantur, ad comparanda ea omnia, quæcũq; bello,
& imĩnẽti periculo, uſui fore uiderentur. Claſſis au-
cta eſt ad numerum quinquaginta triremiũ, & An-
gelo triuiſano datum claſſis imperiũ, ut contra claſ-
ſem gallorũ ſtaretur, quæ Genuæ parari dicebatur.
Claſſis quoq; præfecto Hieronymo contareno datum
negocium eſt, annonam abunde curare, & permiſſum
amplius, omnia extera nauigia, ac ſi Venetæ naues
eſſet, portare annonã Venetias. Et quia in dies magis
magiſq; milites libenter abibant, primo quoq; tẽpore
e ſenatu conſulto cautum eſt, exercitũ augere, ad duo
millia militum, & decem millia peditũ, atq; ex My-
ſia adſcribere, quattuor millia leuitum, ſimulq; duo-
bus legatis, Petro duodo, & Chriſtophoro mauro cu-
ra iniuncta eſt, congregandi diſperſos milites, atq;

confirmandi popularium & ciuium animos in fidẽ priſtinam, hortando, obteſtando, pollicendo, ſe ſemper eis auxilio fore. Cæterum cum domi parum uires ſuppetere uiderentur, patres iterum atq́ iterum Iulium Pontificẽ, & Reges, Germaniæ, Angliæ, & Hiſpaniæ hortabantur, Regis gallorum elati uictoria, regnandi cupidinem immodicam tempeſtiue comprimere. Aliter ſero re Veneta collabãte, quid de ſe futurum eſſet, ipſi uiderint, quando nemini dubiũ eſſe debeat, inſatiabilem animũ regis ambitioſi fore, nunc Regi angliæ, nunc Regi hiſpaniæ, uiciſſim bellum inferre, atq́ ſedi Apoſtolicæ, & coronæ imperatoriæ inſidias parare. Igitur in primis precabantur Iulium Pontificem tanta arma temporaria, & ſpiritalia deponere, ſeq́; optatæ pacis decentiſſime auctorẽ præſtare, atq́ ſibi magis magiſq́ Venetos obnoxios reddere. Sed omnia fruſtra fiebant, ſicut etiam fruſtra Patres uſi ſunt opera Michaelis pontani, ut Proſperus columna uir belli ſcientiſſimus, locũtenens in caſtris haberetur. Si quidem putabant, ſub nouis iis auſpiciis, de ſumma rerum poſſe melius ſperare. Nãq́ alioquin bello confracti milites, atq́ propemodum amentes erant, & ſicut ægre congregabãtur, ſic ægre in caſtris precio aut precibus retinebantur. Ea enim ſunt quæ ſecum afferũt mala res aduerſæ, ut quem amicum fidiſſimũ, in rebus proſperis expertus fueris, eũ in aduerſis, a te alienum reperias, ſi eius opera uti uellis. Itaq́ Venetorũ labefactatus omnis exercitus,

nihil amplius audere, nihil amplius ſperare, quatenus omnis omniũ in fuga ſita ſpes erat. Pluries legati & Imperator exercitus, modo precibus, modo minis, modo uerbis aſperis, modo lenibus conati ſunt, milites ſub ſignis, & ſub ordinibus militiæ reuocare, & nunq̃ potuerunt id facere. Pars adſcribi iterum recuſare. Pars præ magna trepidatione, nihil magis q̃ cõmeatum uelle. Pars acceptis etiam pecuniis, domũ abire, omnes ſine ordine, ſine imperio eſſe, omnes duplum ſtipendiũ exigere, neq; poſtea iuſſa faceſcere, aut ordines ſeruare, aut urbes cuſtodire, aut conſilia & itinera hoſtium explorare, quinimmo quiq; milites in patriam repedare, pro ut ab hoſte paulatim recedebatur. At legati imperteriti, & Imperator exercitus, quid facto opus eſſet, frequẽter conſulere, deinde mature facere, nihil prætermittere, quod uſui foret, exercitum reſumere, milites beneficiis demereri, equos, arma, refectiones, pecunias, abunde tradere, illudq; præſertim precari, ut memores beneficiorum eſſent, atq; in tanto rerum diſcrimine, rempublicam ſuſciperent, quæ de ipſis ſemper fuiſſet benemerita. Nihil eſſe q̃ timeant, aut deſperent, ſi modo uires & animos priores ſumant, quibus auſi fuerant hoſtem antea, leuioribus certaminibus propellere. Et quoniam Brixiæ etiam titubatum eſſet, alter legatus Andreas Grittus, urbem ingreſſus eſt, & conuocatis omnibus iſtam orationem habuit. SI VNQVAM Brixienſes Socii fidiſſimi reipublicæ

noſtræ ueſtra fides uſui fuit, nunc maxime ea futura eſt, quam certo ſcimus conſtantiſſimã fore. Nãq; eius rei indubia teſtimonia patrum ueſtrorũ habemus, qui bello philippico, potius q̃ deficere, maluerunt pati omnia difficilia. Et amplius Petrus auogarius, clanculum per uallem Sabiam Venetias uenit, & quia Veneti non poterant per menſem, ut petebatur, ſuppetere, & malebant Brixienſes deditionem facere, q̃ ea pati, quæ uicti, urbe ui capta pati ſolẽt, ipſe nunq̃ paſſus eſt, & per alium menſem cõmeatum in urbem tulit, ſeruauitq; dõec noſter exercitus ſubſidio uenit. Sed uos iſtæ difficultates non premunt, atq; amplius munitiorem urbem habetis, & maiora præſidia, ut niſi uideamini ad deditionem ſpectare, hoſtis ciuitatem non obſideat. Quod ſi etiam obſideat, nequaq̃ ea re grauari uos decet, neq; id bellũ pro nobis iniquo animo ferre. Veniat quæſo in mentem ueſtram modo ut bello philippico, trepidos quondam maiores, ueſtros exceptos in fidẽ defenderimus annis triginta & amplius, quibus propter uos, aduerſus Philippum ducem, uario euentu bellum diutinũ geſtum eſt. Adicite ad hæc, quod æquas cõditiões tulimus, q̃ noſtras leges, quod ad extremum, id quod ante abduenſem certe cladem maximũ fuit, ciuitatem noſtram uobis dedimus, atq; res omnes noſtras, ac ſi ueſtræ eſſent, ſemper uobiſcum libenter cõmunicauimus. Itaq; & nos cõmunem hanc cladem, quæ modo accepta eſt, credere Brixienſes oportet, & cõmunem, patriã mẽ

dam eſſe, atq; eo plus q̃ parentes ueſtri fecerunt, q̃ non cum duce Mediolani Philippo res eſt, ut cum a nobis ablatum ſit, in Italia tamen imperium maneat. Gallus hoſtis eſt, gente barbarus, natura immitis, moribus efferus, libidine incõtinẽtiſſimus, ut deteſtabile ſit, cuilibet modo in Italia genito, eos dominos habere, e gallia ac ultra inacceſſa alpiũ iuga, iura petere, & Italiam gallorum pati prouinciam eſſe. Vobis modo non minus q̃ patribus ueſtris olim, pulchrũ profecto Brixienſes erit, prolapſum modo quantacũq; clade Venetum imperium, ueſtra fide, ueſtris & noſtris uiribus, atq; opibus, retentum ac recuperatum eſſe. Igitur quæſo facite, ne ſpes nos fallat, quam in uobis habemus, reparandæ reipublicæ. Nãq; domi & foris ſunt, quanta uultis auxilia, ut ſi illam quam præ nos ferimus, fidem indubiam, patrũ ueſtrorũ habetis, neq; gallus ſe uiciſſe ſentiet, neq; Veneti ſe uictos eſſe exiſtimabunt. Sed ea fruſtra dicebantur, quia iamdudum Brixienſes, auctore Ioanne Franciſco Gambara, ad deditionem ſpectabant, & propterea in urbem, non niſi Brixienſes equites, ſubſidio recepti ſunt, atq; inde cum toto exercitu, uerſus Piſcheriam oppidum, magnis itineribus ibatur. Interea Rex gallorũ exultans uictoria, nunc hunc, nunc illum, manu prẽſare, quẽq; laudare, quẽq; donare, more militiæ, dicere, non amplius bellum illis gerendum, ſed prædam agẽdam eſſe, omnia oppida, & urbes Venetorum, ad defectionẽ ſpectare, ſe cõpertum habere per trãſfu-

gas, & exploratores Venetorum omnẽ exercitum cõuerſum eſſe in fugam trepidiſſimã, pleroſq; milites, accepto commeatu abire, multos inuitis ducibus aufugere, ut apparẽs ſit, non uerus exercitus, iners, imbellis, indocilis, inobediens, uecors, & plenus formidine. Itaq; exploratis omnibus, & cunctis compoſitis ex ſentẽtia, caſtra mouit, atq; agmine quadrato, uerſus Brixiam perrexit, rerum omnium ſucceſſu feliciſſimo. Nãq; ex agris cultores paſſim, ex cunctis oppidis, ciues obuiam procedere, præſidium & præfectos gallos accipere, præſidium Venetorũ prodere, præfectos Venetos in captiuitatem ducere, frumentum dare, cõmeatum portare, aliaq; affatim quæcũq; uſui forent præſtare, & poſtremo omnia, quæ imperabantur facere. Ita paucis conſulto prætereo tam multa oppida quia illa adeo leuiter in poteſtatẽ hoſtium facta ſunt, ut nulla paſſa ſint, hoſtes conſpicere, ſicut etiam ad ſonũ tubæ defecit magna Brixia, Cremona, Crema, & prima urbs Bergomũ, in mõte ſita, & bene munita, omnibus utilibus. Rex ergo cum urbes omnes obtinuiſſet, quæ ſibi ex partitione contigerant, præſidia ualida, Cremonæ, Cremæ, & Bergomi diſtribuit, atq; Brixiæ magnificum triumphum egit. Dum ea apud hoſtes aguntur, Veneti Piſcheriã oppidum profecti ſunt, & cum id loci exercitui non ſatis tutum fore uideretur, ſi repente gallorũ aliqua uis ingruat, neq; Veronẽſes exercitũ urbem, aut urbis Ciuitatulã ingredi paterentur, diu cum illis age

batur, & quia illi oratione flecti non poterant, denique in Campo martio, iuxta Veronã caſtra Veneta ſita ſunt. Hoſtes autem galli Fiſcheriam oppugnabãt, & concutiebant mœnia, tormẽtis militiæ. Cõtra oppidani & milites, acriter obſiſtere, Antonius bonus, & Andreas ripanus omnia, quæ uſui forent imperare & facere, ſed parum potuerunt proficere, quia denũ hoſtes obnixi, cuneo facto, per diruta mœnia uadentes, oppido potiti ſunt, & de Venetorum militibus, magna ædita cædes eſt. Nãq; Antonius bonus præfectus, cum Andrea ripano, & Vico peruſino duce peditum, in hoſtium poteſtatẽ uenit, & cæteri omnes, quadringenti quinquaginta pedites, ad unum crudeliter cæſi ſunt. Deinde galli traiecturi amnè Mintiũ, totius exercitus Venetorum, ultimã internectionem minabantur, necnon Archenſes Domini collecta multitudine tumultuaria agreſtium, nunc ui iſtud oppidum, nũc illud deditione capere conabãtur, & quod peius erat, in primiſq; compulerat, urbes & oppida Venetorũ, res nouas moliri, rumor in dies magis magiſq; cepit increbreſcere, Regem romanorũ, cum octo milibus equitum, & duodecim millibus peditũ, Tridentum uenire, ſimulq; ſexdecim millia hominũ, uerſus forũiulii feſtinare. Parte quoq; alia Dux Ferrariæ ultro auſus eſt, Venetis terra mariq; bellum inferre, uaſtare agros, aggredi oppida, cymbis obſidere Padi hoſtia, ac toto deprædari pelago. Verũ ſupra omnia illud maxime Venetos angebat, quod Põtifex illis in-

terdixerat, cenſuris eccleſiæ, niſi termino conſtituto, omnia redderēt, quæ quoquomodo, ad ſedē Pōtificiā, ſpectare uiderētur, & amplius Rex hiſpaniæ poſcebat oppigneratas ciuitates Apuliæ, et paſſim alioquin contra Venetos bellum enixe parabatur . Igitur Patres, potius ꝙ cōſilio, trepidatiōe ducti ſunt, aduerſæ fortunæ cedere & oīa, ut cūcꝫ petita, omnibus ultro tradere , ſicut & Iulio Pontifici, Ariminū, Fauentia, Rauēna , & Ceruia, ciuitates traditæ ſunt, Duci Ferrariæ tota rhodigii peninſula, & Regi hiſpaniæ ciuitates Apuliæ. Sed Regi romanorum tradita eſt urbs Verona, Vincentia , & Patauiū, ne galli hoſtes ulterius progrederentur , & amplius quantum Rex ipſe Maximilianus uolebat, tātum dabatur , aſſidue precando, & obteſtādo, dum res Venetæ, adeo periclitantur, quibus ſemper uſus eſſet , ualde familiariter, & ſemper uti poſſet, ac ſi ſuæ res eſſent, ut rem ſuam probe proſpiciat, an ſuarū rerū hoſtis potius, an amicus accederet . Cæterum prorſus omnia fruſtra fiebant, adeo nemo contentus erat eorum , quæ ſponte uocatis etiam præſidibus tradebantur. Nāq; Pontifex noluit, ut conuenerat, e ciuitatibus præſides Venetos abire, & aſportare tormenta militiæ , & Dux Ferrariæ ultra Rhodigianā polleſinū, in Venetos mouit, & diſiecit claßem eorum tormentis militiæ , quam Sebaſtianus Maurus per amnem Atheſim ductabat. Rex autem hiſpaniæ, terra maricꝫ, armis etiam uſus eſt, & aliquas urbes ui cepit , quia noluit expectare ultro recipere.

ultro recipere. Pari modo Rex romanorum non contentus habere Veronam, Vincentiam, & Patauium nouum bellum incepit gerere in Iſtria, & foroiulii. Nãq; primo quoq; tempore Chriſtophorus frangipanes, cum quingentis equitibus, & totidem peditibus, in Iſtriam uenit, & ui cepit oppidum Duinium & Piſinium, quia uti uiribus malebat, agros uaſtare, prædas agere, fædare, diripere, & uictis nihil reliqui facere. Ille tamen nuper non potuit Raſpruchiũ cape, quia Venetorũ uiginti ſeptẽ equites, & qnquaginta pedites, cũ p̃tore Frãciſco delphino acriter hoſtibus obuiã ibãt, & locus ipſe cliuoſus eſt, & ãplius cum ſubſidiũ Venetis ueniſſet, contra hoſtes uiciſſim ſtabatur, & ſæpe agebatur, leuibus certaminibus. Nihilominus. Dux Brunſuigenſis cum duobus millibus hominum, prorupit in forũiulii, & Ciuitate Bellunni, Feltroq; oppido potitus eſt. Sed alioquin non potuit, Scluſam caſtellum capere, quia Venetũ præſidium uenit, & identidem ea parte, contra hoſtes acriter ſtabatur, donec belli germanorum iſtis præludiis ageretur. Poſteaq̃ uero Rex romanorum, cum magno exercitu, in Italiam uenit, paſſim deditio fiebat, & nemo poterat obuiam ire. Nãq; germani magna ſæuitia utebantur, agros uaſtare, prædas agere, nulli ſexui parcere, & cũcta igni ferroq; ſubuertere. Itaq; conſternati Patrum animi, uoluerunt aliquãdo de pace etiam cum gallis agere, ſi modo loqui apud quemq; facultas eſſet. Nãq; ſua intereſſe putabant

quoquomodo confractis rebus tantos impetus comprimere, atq; omnibus modis pacem amplecti uelle, cuius ſemper ſtudioſiſſimi ſunt, neq; unq̃ bellum aliquod ſuſcipiunt, niſi tuendi ſe gratia, & neceſſitate compulſi ſint. Neq; enim Veneti bello aſſueti ſunt, neq; oppidani, aut ciues ſocii, ſed longa pace opulẽti, quãuis fidiſſimi ſint, nullam agrorũ uaſtatione, nullam obſidionem pati poßunt. Neq; profecto Venetos latet ingenia ſuorum militum, qui conducticii ſunt, & bonam operam enauant, ſi modo res proſperæ cedunt. Sin autem illæ aduerſæ ſint, nihil petulãtius, nihil cernas cõfuſius, ſicut & modo manifeſte patuit, quando paulatim ceſſum eſt, & peruentũ, uſq; Meſtrum oppidum. Imperator exercitus præter fugam, nihil amplius curare, non ordines diſtribuere, nõ excubias locare, deniq; quicquid facto opus eſſet, an ſtãdum, an eundum, nihil imperare, non animaduertere in milites, quicũq; furentur, ordines relinquant, aufugiant, agant impune, quodcũq; collibeat. Igitur omnis exercitus, ſine duce, ſine ordine, ſine imperio eſſe, multi quottidie e caſtris aufugere, omnia facinora quantum uis grauia impune perpetrare, omnia militaria opera recuſare, non ſigna ſequi, non ordines obſeruare, non ea quæ imperabantur facere. Accedebat quod dolo malo diſeminatũ eſt, & uulgo dicebatur, ob id ſtipẽdia non dari militibus, quia Patres ita potius uellent, omnem exercitum diſoluere, & cum de ea re, præſertim ductores conquererẽtur, & fre

quenter legatos rogarent, ut ſi ea mens eſſet reipublicæ, ſe certiores faciant, ſinātq; rebus ſuis tempeſtiue poſſe conſulere. Ea re legati ualde cōmoti ſunt, & cenſuerunt e republica fore ad ſedandum tumultum, Andream Grittum, ita omnem exercitū alloqui. ILLVD FACILE quiſq; ſuadere ſolet Ductores & Milites, quod ſibi & illis apparet utile, apud quos loquitur. Et quid utilius mihi & uobis poteſt accidere? quam uos ad reparandam rempublicā ſeruare, qui omnia eius aduerſa pertuliſtis, ſicut ueros amicos decet, ne eam iam nullā eſſe pateremini. Neq; enim ſuſpitione caret, ſi quis proſperum uitæ curſum comitetur, ſed qui ſinceræ fidei in aduerſis rebus cognoſcitur, quicquid praſtat a conſtanti beneuolentia proficiſcitur. Vos tales eſtis Ductores & Milites & noſtram rempublicā labantem tenuiſtis, ut bene ingrati ſimus, niſi erga uos gratiſſimi ſimus atq; uos omnes, & ueſtra omnia, ſumma ope, ſemper ſeruemus. Nempe exercitus iſte cor noſtrum eſt, uos milites eſtis noſtra uiſcera, quod ſi cor & uiſcera pereant, quid auxilii ſupereſſe poteſt, atq; iccirco noſtra potiſſimū intereſt, exercitui ſupra omnia ſtudere, cōfirmando, augendo, tutando. Ecquid apud uos in incerto res eſt? ſiquidem ampla teſtimonia eſſe poſſunt, aſſidua noſtra ſtudia, adſcribēdi milites, ſupplementum exercitui. Quod ſi aliquis etiam dubitet, ex noſtro teſtimonio, pro comperto habeat, certiſſimam mentem reipublicæ eſſe, neminem ueſtrum di

ſcedere, atq; ita cupimus perſiſtendi, ut eadem mens ueſtra ſit. Neq; enim patres noſtri multitudine rerum opprimi, aut uarietate negociorum cōfundi, aut agēdorum magnitudine ſuperari patiuntur, quæ multa huiuſmodi in aduerſis ſolent accidere, & nunc maxime Patres ſoliciti ſunt fortiter & prudenter bellū adminiſtrare, urbes, exercitus ſeruare, atq; res tantas & uarias mente gerere, ratione diſponere, diligentia obire, & gubernare ſapientia. Et uos identidem Milites capeſcite modo rempublicā, uos cōfractis rebus ſubuenite, uos pariter totius Italiæ de qua agitur, libertatem defendite, & quanto difficilius eſt, tanto audentius enitimini, etenim ea uera gloria militum, & uirtus eſt, ſi rebus aduerſis illi fortes & animoſi ſint. In uobis ſperamus Milites, in ueſtra manu ſitum eſt, rem Venetam collabantem reparare perſiſtendo & expectando, tantiſperdū fortuna biceps reſpectet. Igitur durate quæſo, atq; tuemini libēter res noſtras ac ſi ueſtræ res eſſent. Veſtræ profecto res ſunt, quando ſemper noſtra ſtipendia, uobis ſuppetunt, atq; in dies magis magiſq; itidem fiet, ſi modo ut certo credimus noſtris opibus, ueſtra fide, uirtuteq; rē uenetam ſimul et libertatem Italiæ a ſeruitute gallorū, cum ingenti ueſtra gloria conſeruetis. His dictis milites placati animis iuſſi iterum dare nomina, percēſi ſingulatim & quiq; optimi delecti ſunt, pro ut tempus exigere uidebatur, ut omnes eſſent ſexcenti milites, mille quadringēti leuites, & ſena millia peditū,

ſimulq; omnes ſtipendiũ acceperunt, & iure iurãdo adacti ſunt ſemper ſigna ſequi, ſemper ordines obſeruare, ſemper omnia quæ imperarentur facere. Dum ea uero in caſtris geruntur Tauriſii pluſſatis tumultuatum eſt. Nãq; Leonardus dreſſanus imperatorius nuncius illam quoq; ciuitatẽ pertẽtare aggreſſus eſt. Sed parum ceſſit ex ſententia, cum pro Venetis exules Taruiſii bonã operam enauaſſent, quia nuper indemnitate donati fuerant, & Venetias pergens orator Regis Hungariæ, quia nouitate rei motus eſt, dũ ingrederetur Taruiſium pro Venetis idẽtidem egit, & dixit oportere Marcũ potius acclamare, & ſic a comitibus repente exceptum & acclamatũ eſt, atq; amplius Marcus Cerdo fidiſſimus uexillũ Marci ſuſtulit in media platea, cepitq; idẽtidẽ alta uoce pro Venetis dicere, atq; ea excipiens præfectus urbis in eam ſentẽtiam locutus eſt. NOS EQVIDEM Taruiſini dẽditionẽ faciendi primi auctores eſſemus, ſi ueſtra intereſſet & noſtra, etenim a nobis ueſtrum nihil alienum putamus. Si quidem quod parti nocuũ, aut proficuum eſt, idem & toti, aut obeſſe, aut prodeſſe ſolet. Vos Ciues & Populares noſtri eſtis pars maxima, ueſtra ciuitas noſtrum ſuburbiũ eſt. Quod ſi manus aut pes in officio nõ maneat, totũ corpus collabitur, & corpus econtrario ſe bene habet, ſi mẽbra omnia officioſa ſint, ſicut & nunc proculdubio eueniet, ſi modo uos officioſi ſitis, reſpublica & totũ corpus facile conualeſcet. Patauiũ quidem & Vincentia

urbes bona noſtra uenia Regi romanorũ traditæ ſunt ne gallus hoſtis progrederetur, neu uaſtationẽ agrorum, aut quãpiam obſidionem paterentur; atq; eadẽ uobis data facultas eſſet, qui quanto propinquiores, tanto cariores eſtis, ſi eadem uereri deberetis. Atqui nullæ copiæ hoſtium adſunt, quæ uobis ne tantillum quidẽ obeſſe poſſint, ut multo ſacius ueſtra fides ſatis ſpectata perſiſtendo confirmetur, & noſtris copiis auxiliaribus, omnes res ueſtræ tutæ ſint. Ecquid res ueſtræ tutæ eſſe poſsũt? ſi petat Leonardus dreſſanus qui Patauiũ retinere non poſſet ſi mẽs noſtra retrorſum eat. Ecquid ſi etiam ueſtræ tutæ res eſſent? tam parum ne uobis curæ eſt ueſtra fides, & in uos noſtra beneficia, ut potius cum Rege romanorũ quã nobiſcum res ueſtras ſaluas eſſe uelletis. Nũq; profecto ueſtra omnia tuta eſſe poſsũt ſine noſtra frequẽti opa, nos ſemper uos tutati ſumus, nos fouimus & iuuimus, nos omniũ rerum noſtrarum, ac ſi ueſtræ res eßent, ſemper uos complices libenter fecimus, & nũc etiam ut magis magiſq; obnoxii ſitis, omnes immunitate donamus, & ſi quid eſt quod uultis amplius morem geremus, nihil habentes antiquius, q̃ uobis ſemper rẽ gratam facere. Igitur & uos memores benificiorum eſtote, & in fide pſiſtite, ut ueſtra opera res Venetæ minus acciſæ uideãtur, & reuerſuræ in ſtatum priſtinum, quod facile ut ſpero eueniet, niſi forte uolens animus me fallit, & uos magis barbaris hoſtibus inſeruire q̃ frui libertate Italiæ parati eſtis. Sic ille lo-

cutus eſt, & omnes acclamarūt uelle fidem ſeruare, & omnia quæ imperarentur facere. Deinde ſeptingenti pedites in urbē recepti ſunt, & diſtributi arci foroq; & cunctis portis cuſtodiæ, ne quiſq; amplius multitudinem ſeducere, aut aliquo pacto res nouas moliri poſset, ſimulq; quod maxime intererat tantum cōmeatuū intra ciuitatem aſportarunt, ut in omnem euentū annona poſset ſufficere. Et quia in eo tumultu quidam bona iudeorum diripuerant, datum negociū eſt quibuſdā ciuibus cum quadringentis delectis peditibus urbē cuſtodire, uicatim ire, & ubiq; auxilio eſse, ne aliquid tale amplius poſſet accidere. Seruata urbe Taruiſio ceptū eſt audētius in hoſtes ire, & legati Veneti præcipue conati ſunt, hinc inde cū equitatu & peditatu totam prouinciā reuiſere, factioſos ciues cōpeſcere, & præſertim agricolis auxilio eſſe, quibus hoſtes infeſti erāt propter meſſem, de qua frequenter agebatur. Igitur noſtri milites nunc ſtare, nunc hoſtibus obuiam ire, nunc hoc, nunc illud oppidum ui aut deditione recipere, deniq; dum acriter ageretur, collata agricolis facultas eſt fruges colligere, & Venetias aſportare. Nāq; alioquin de frugibus maxime apud Patauium in quæſtionem uenit, & quia Patauini plus ſatis duriuſculi uidebantur, Patres ualde cōmoti ſunt, & aliquando cogitabant, propterea de recipienda urbe Patauio. Sed modo Venetorum præcipua cura uerſabatur circa id quod exercitui munitū foret, atq; ideo de tutiori loco caſtra-

metandi magna quæſtio fiat, & deniq; creditum eſt locum tutiſſimum exercitui fore, qui Mergariam & Meſtrum oppidũ interiacet, ſi propugnaculis, foſſa, & aggeribus apprime muniretur, quatenus neq; aquæ adimi poſſunt, niſi ſupra quattuor millia paſſuum, ut adimi nequeant, niſi amicis & inimicis demantur, neq; ex proximis Venetiis defuturæ ſuppetiæ uidebantur, & amplius quia locus iſte intermedius eſt Patauio, Vincẽtiæ, Taruiſio, & foroiulii ſemper inde milites eſſe poterant terrori hoſtibus, & ubiq; ſociis auxilio. Sed alioquin cum Rex romanorũ uſq; Valliſeram oppidum ueniſſet & uideretur, aut Venetum exercitum, aut urbem Taruiſium, propediem uelle inuadere, uiſum eſt magis e republica, atq; tutius urbi Taruiſio, & exercitui fore uniuerſas copias, intra mœnia ſtatim ducere. Igitur primo quoq; tẽpore datum negocium eſt Lucio maluetio, & Ioanni mariæ fregoſio Taruiſium anteire, & omnia gratanter cõponere, deinde cum omnibus copiis itum eſt, & omnis exercitus cum commoditate ſub ordinibus tantis hoſpes uenit, ut facile omnibus daretur intelligi non illum oneri, ſed omni officio ſemper paratiſſimũ fore. Deinde opera, & foſſores diſtributi ſunt ꝑ loca omnia, ut urbem inexpugnabilẽ redderent, aggeres cõſtruendo & propugnacula, atq; aquas affatim ſubleuando, quæ circa totam urbem abunde uagarentur. Itaq; Veneti multo cõmodius contra hoſtes frequẽter ibãt, & paſſim leuia certamina fiebãt. Nãq; ubiq;

ſociis agricolis auxilio ibatur, ſicut & nup Andreas Grittus cum leuitibus prope oppidum Axilium uenit uetare, quæ frequenter fiebāt prædationes & uaſtationes agrorū, & ſtatim iubet, ducētos leuites anteire, & uidere copias hoſtium ubi & quantæ eſſent, & quid pararent. Huic alæ equitū hoſtes occurrunt, noſtri primo fugam ſimulare, ac hoſtes cōfiſos in ſubiectam oppido planiciem paulatim protrahere conati ſunt, deniq; ſumpta occaſione loci corruerunt in prælia. Et primo quidem acriter certabatur, ſed poſtremo de hoſtibus magna ædita cædes eſt, & multi capti ſunt, atq; alii uix potuerūt in oppidū euadere, & cum Veneti leuites redirent in caſtra, ex uictoria parta cum manubiis hoſtium, ab agricolis excepti ſunt cum maximo applauſu, atq; uino pane & obſoniis, & ſupra omnia uultus boni accedebant, ut omnes amice comederent, quæcūq; libentiſſime tradebantur. Vſq; adeo omnes agricolæ maximos affectus in rempublicā præſeferre, ſemper armati & officioſi eſſe, ſemper omnē ſuam operam polliceri, ſemper omnia quæ imperabantur ſedulo præſtare, omnia itinera hoſtium & conſilia propallare, ſæpe etiā nacti occaſionē rerum bene gerendarū Venetos accerſcere, & potiſſimū ducere, in ſpem potiūdi Patauio, ſimul ac urbs illa incuſtodita uideretur. Igitur primo quoq; tempore datum negocium eſt, Andreæ Gritto ire & uidere, ſi poſſit urbē Patauiū recipere. Ille uero tantam rem mature agendum ratus, eo or-

dine cuncta diſtribuit, ut Citolus peruſinus, Lactā-
tius Bergomēſis, & Bernardinus Parmēſis caput iti-
neris, & conſilii cum peditatu ueteranorū Miranum
rus pergant, ſequenti nocte profecturi Patauiū, quos
pariter ſequatur Aluiſius Dardanus, cū ingenti manu
agreſtium. Ipſe uero Andreas Grittus cum quadrin-
gentis leuis armaturæ delectis equitibus Noualem
oppidum conſtituit petere, atq; inde Patauiū ire, &
iunctis copiis cum peditibus impetere portam Pata-
uii, cui Cauda longa nomen eſt. Et quoniam diuer-
ſione etiam opus erat, uiſum eſt, ut opera Philippi pa-
rutæ Gambararienſes agricolæ ad duo milia hominū
excirētur, & parte urbis oppoſita, Portellum Patauii
acriter inuaderent cum trecentis peditibus, & ſexa-
ginta haſtatis equitibus, ac omni præſidio Veneto,
quod Meduaci flumine ſubuehebatur in claſſe para-
tiſſima, & āplius parte alia ne quiſq; patauinis ſub-
ſidio eſſe poſſet, alter legatus Chriſtophorus Mau-
rus cum quinquaginta equitibus, & mille peditibus,
Ciuitatulā oppidū ibat īuadere. Itaq; Andreas Grit-
tus, eo die ſeptimodecimo calendas auguſti, pedites
& equites ad loca cōſtituta expedire, omnia parare,
quæcūq; uſui forent, deniq; cunctis compoſitis ex ſen-
tentia locis ſimul omnibus die poſtera Patauiū itum
eſt. Et primo quidē inter eundū apud Stratā caſtellū
Gambararienſes agricolæ fœliciter egerūt cōtra ho-
ſtes germanos. Nāq; dum illi recuſant deditionē fa-
cere contra uiribus agebatur, & tandem hoſtes uicti

cæſiq; ſunt, & ui captum caſtellum eſt, atq; amplius parte alia, dum ea res agitur, primi pedites Patauiū uenerunt, & ſummo mane obnixi humeris portam aperuerunt ſemiclauſam, ut forte paulo ante quibuſdam feni curribus patuerat. Tum tres pileati equites haſtati præmiſſi ſunt urbem explorare, dum cæteri omnes fores obſident, quibus renūciantibus omnia imparata, & impremeditata eſſe, omnis exercitus introgreſſus in forū uſq; perrexit, ſemper anteeunte, & in primis agente Vulpenſi equite, & Ioāne diedo cum equitatu, & cū peditatu Citolo peruſino, & Lactantio Bergomēſi quorum in eo bello maxime uirtus emicuit. At Leonardus Dreſſanus accitus tubarū clangore reſono, & ſublato clamore uenientiū cum trecentis Germanis peditibus primo obuiam ire, atq; acriter obſiſtere, demū ingruente multitudine, [b] paulatim recedere, uſq; quo omnes intra arcem recepti ſunt. Inde Comes Brunorius Saregus cū quinquaginta equitibus grauis armaturæ e Ciuitatula urbis prorupit, atq; in Venetos impetum fecit, & pro uirili expertus eſt, an multi a paucis aliquo pacto uinci poſſent, prœliūq; ſuſtinuit tantis animis, ut aliquādiu in incerto eſſet, quis cederet. Deniq; uero Cæſariani milites multitudine opprimebantur, & circūuenti ſimul a fronte, a tergo, & a lateribus omnes cæſi, aut capti ſunt. Deinde paribus animis in arcem ibatur, & quidē Leonardus dreſſanus quantū in ſe fuit arcem defendere conatus eſt. Sed poſtq̄ uidet omnia plena

hoſtium, neq́ ſupereſſe ſpem aliquam, ſe arcemq; & præſidium dedit. Victis hoſtibus, uictores ad prædã conuerſi ſunt, quæ ingens omnis generis fuit, quãuis enim Andreas Grittus id fieri noluiſset, iudeorũ tamen omnia prædæ militibus fuere, & nõnullæ domus quorundã ciuium, qui nimium factioſi uiſi ſunt. Tãtus uero fletus & ululatus paſſim ædebatur, ac ſi diriperetur tota ciuitas, & quia in die Marinæ uirginis urbs Patauium in poteſtatem Venetorũ rediit ſtatutũ eſt, ut ea dies ſemp̱ celebris haberetur.

ANDREAE MOCENICI .P.V.D.

LIBER SECVNDVS HISTORIAE.

VRBE RECEPTA PATAuio uiſa eſt res Veneta aliquantũ reſpirare, & inſtaurati animi ſunt quia ad conciliandum Regem romanorũ facilius uidebatur. Neq; enim Patres Veneti bello urgente aliquid ſatis tutum fore putabant, apud quos ſemper fuit nomen pacis blandum & amabile. Igitur eius rei auctores, & Regem Hungariæ, & Regem Angliæ, frequenter expoſcebant, ſimulq; Nurimbergenſi cõmunitati germaniæ in eã ſentẽtiã litteræ datæ ſunt. NON EQVIDEM noſtra culpa. P. N. Cæſar nobis hoſtis eſt, atq; adeo eius aures obturatæ ſunt, ut colloquendi nuſq̃ facultas ſit. Neq; id tamẽ in ipſum referimus, qui clementiſſimus eſt, ſed potius id fieri putamus ſuggeſtione maleuolentiũ, qui dum ſibi tantum conſultum exiſtimant, nullam rationẽ habẽt collapſuri Romani imperii, etenim muneribus capti ſunt, & non uident gallos natura Germanis infeſtos eſſe, & geſtire coronã imperii. Et quidẽ ea Cæſari in aperto res eſt. Nãq; ipſe ſæpe etiam profitebatur, facile collapſura machinamenta huiuſmodi, ſi celeri remedio occurratur, ſicut & nos futurũ cre-

dimus, ſi modo Cæſar ita uellit ut poteſt, obuiam ire, atq; ea quæ fecimus, & quæ p oratores dicturi factu riq; ſumus in bonam partem accipere. Et quæ nā nos egimus aduerſus Cæſarem? niſi ea quæ plena officii ſint. Bello laceſſiti tuendi nos gratia obſiſtimus, & quæ ceperamus ultro reddidimus, dum ea re Regem Maxinulianū placatum iri, merito putaremus. Inſuper modo ne dum cupimus fœdus rite factū ualidum & inuiolatum eſſe, ſed etiam pacem perpetuā intercedere cū ueſtro Cæſare, cuius ſi poßumus eße uolumus, ſemper cultores obſequētiſſimi. Verum obſtant obtrectatores quibus nos obuiam ire par eſt, dum noſtra ſimul & res ueſtra agitur, quando mutua noſtra cōmercia uiciſſim ſemp uſui ſint. Noſtra præſertim in uobis ſita ſpes eſt, & in Deo optimo maximo, quem proculdubio ſperamus nobis auxilio fore, non immemorem eorū quæ ſemper egimus ſeruandæ & augēdæ Chriſtianæ Religionis gratia. Nāq; alioquin Reges terræ nobis infeſti ſunt magis q̃ unq; in turcas fuerint, & rem Venetā, quāto maxime poſſunt perditū eunt. Vos igitur auctore Deo in uobis, qui ſemper antiqua beniuolentia nobis coniunctiſſimi fuiſtis, noſtrā quæſo cauſam agite apud Cæſarem, ut ueſtra opera illo cōciliato nobiſcum, uos rebus noſtris omnibus uti poſſitis, atq; conſeruata dignitas, & ciuitas noſtra non magis nobis, q̃ uobis ſemper uſui ſit. Neq; cum Rege romanorū de pace ſolūmodo per literas agebatur, ſed etiam per nūcios, ſimul ac ille cō

tentus fuit Venetos oratores admittere. Sed fruſtra omnia fiebant, quãuis pacis amplæ conditiones proponerentur. Hoſtes enim germani potius bellum gerere parati ſunt, & nuper ad ſæuitiam, canibus etiã utebantur in quibus odora uis eſt. Nãq; ea uia pueros & mulieres quærebant per ſegetes, & alia loca ſubterranea, & exitii nouo genere, uenationes hominum habebantur. Non tamen potuerũt Monfalconiũ oppidum foriiulii capere, quia cõtra acriter ſtabatur, & ipſi diuerterũt Cadubriũ capere, quia uillici nequiuerunt tantam uim hoſtium ſuſtinere, & qui rei interfuit Ricinus reuerẽſis cẽturio. Sed circa caſtellũ difficultas fuit, & hoſtes aliquando repulſi ſunt, deniq; princeps Analtius cum decem millibus hominum in caſtra uenit, & cum magna ſtrage caſtellum etiam ui cepit. Sed poſtea multi eorum repedarunt in germaniã, ſimul ac relatum eſt, quæ nuper apud Valliſeram oppidũ de germanis octingẽtis hoſtibus magna ædita cædes erat. Nãq; cum primum Leonardus hieroſolymitanus eques & Petrus corſius cum centũ leuitibus, quadringẽtis peditibus, & manu agreſtium in edm expeditionem exiſſent, oppidum ui captum eſt, & omnia prædæ militibus fuere, atq; amplius ſeſe dedit Ciuitas Bellũni, quam hoſtes incuſtoditam reliquerant. Adeo ſæpe hoſtes ſoliti ſunt oppida capere & deſerere, ut nulla omnino ſint non capta & recepta pluries, id quod ſingulatim ſæpius dicere ſuperuacaneũ eſſet. Verum ut plerũq; conſue-

nit accidere, quanto magis Veneti contra hoſtes ni-
tebantur, tanto minus ſemper illis uſui fuit. Nāq; & nuper ideo Dux Brūſuigiæ cū decē millibus hominū in Venetos mouit, & Vtinū urbem ſtatim obſedit. Sed quia uiris armiſq; ciuitatem bene munitā uidet, obſidionē ſoluit, & in Ciuitatē Auſtriæ ſtatim ibat. Adeo ſemper nocuit plus capere q̃ retinere facultas eſt, & illos hoſtem ultro laceſſere, qui propulſare iniuriam uix apti ſunt. Eſt autem Ciuitas Auſtriæ ſita loco cliuoſo ad Natiſonem fluuium. Illi præerat Federicus contarenus uir impiger, & præſidio ſtabant ciues fidiſſimi, necnō Vicus peruſinus, Antonius ſantipetra, Lucas anconitanus, & Paulus baxilius cū ducentis quinquaginta peditibus. Turris erat & angulus muri ad ſuburbiū Dominici, quā cætera planior & patentior. Igitur aduerſus eum hoſtes admouerūt tormenta militiæ, & ceperunt noctis ſecunda uigilia oppidum fortiter concutere. Contra oppidani & milites arma expedire, locum capeſcere, hoſtibus obuiā ire. Dum uero apud Ciuitatē Auſtriæ in incerto res eſſet, Ioannes Paulus gradonicus legatus foriiulii cū octingentis equitibus, & quingentis peditibus infœliciter conatus eſt hoſtē ab oppugnatione auertere. Nāq; cum primū hoſtibus relatum eſſet Chriſtophorus frangipanes cum ducētis liburnis equitibus, haud procul ab oppido ſe in inſidiis locat, & cum Veneti proximiores fierēt, ipſe protinus ex inſidiis eos tanto impetu aggreſſus eſt, ut paruo momēto Vtinēſes oēs

cum magna

cum magna ſtrage uicti fuſiq; ſint. Secundum eam pugnam reuerſi hoſtes elatiores uictoria, magis magiſq; prælium inſtant. Iamq; diu quaſſata turris procubuerat, atq; aditus inter ruinas muri patebant, & hoſtes progreſſi propius ea ruina captũ oppidũ credebant, tripartitoq; agmine ubiq; infeſti erant. Cõtra oppidani ad omnia tuenda & obeunda parati intentiq; ſtare, miſſilibus telis & tormentis bellicis hoſtẽ ſummouere, & nihil ſatis tutum munimẽtis pati. Denium ea parte qua mœnia corruerãt utrinq; in pugnam procurſum eſt, hoſtis multitudine hominũ abũdabat, oppidani inuictis animis pollebant, hoſtes credula ſpe potiundæ uictoriæ ſumma ope nitebantur, oppidani deſperatione cõpulſi pro nudata mœnibus patria corpora opponebãt, nec uſq; pedem referebãt, ne relicto loco hoſtem immitterẽt, multi utrinq; peribant, plurimi ſauciabantur. Inter muri ruinas ubi præliũ & belli futura uis omnis apparebat, oppidani antepoſuerant deinduſtria magnã ſtruem ſarmentorum & paleæ ac pulueris illius, quo utimur ad tormenta militiæ. Cum ergo diu anceps certamẽ foret, & oppidani quia præter ſpem reſiſterent animoſiores eſſent, Federicus militem ſuum ſingulatim compellare, collaudare, adducere in ſpẽ uictoriæ, ſi paulũ adnitatur, omnibus locis inſtare, omnia curare, ſæpe etiam ipſe hoſtem inuadere, & loco deturbare ubiq; hortator eſſe, omnibus modis ſuis animum augere, hoſtibus terrorem incutere. Quibus hortationi

bus ducti oppidani clamorē repente tollunt, & paratis fomentis ignem ſupponūt. Accedunt fuſiles machinæ ſagittarii ſcorpionarii & tormētarii pedites, qui eminus hoſtem feribant, ut denū multi hoſtiū cōbuſti ignibus, plures cōtriti tormētis militiæ & ſaucii telis miſſilibus, omnes in fugam cōuerſi ſint. Eo cōflictu fertur trecentos hoſtiū periſſe, & oppidanorū uigintiquinq; non amplius. Poſtea hoſtes obſidione ſoluta captoq; oppido Tulminio in omne facinus prolapſi ſunt, in omnē ſexum puerorum & mulierū truculēter ſæuire, & omnia inhumana crudelitate fœdare. Nihilominus ea ſæuitia uſi ſunt in Iſtria poſtq̄ ĩuerunt ingens ſupplementū equitibus leuis armaturæ qui erant cū Chriſtophoro frangipane, & omnia ſubuertebant, quia Franciſcus paſcalicus præfectus ducentorū leuitum non poterat hoſtibus obuiam ire, & amplius cum oppidani mille quingenti, & præſides oppidorū in expeditionem exiſſent municipia Cæſaris capere, apud Vermen caſtellū de illis magna ædita cædes eſt, quia ſine ordine ſine imperio temere nimium ibatur. Poſteaq̄ uero Hieronymus contarenus cum ſex triremibus in Iſtriā uenit, pariter terra mariq; contra Tergeſtum ibatur. Eſt autem urbs ſita ad mare, iuxta quam exit in pelagus Natiſo fluuius, qui finis Venetiæ dicitur, fluit et Timauus amnis Tergeſtum, Cōcordiāq; diſterminans, qui delatus e montibus decidit in profundū, habens ſeptem fontes fluuiatilis aquæ, & deide abſorptus infra terrā ſtadiis cir

citer centũ & triginta erũpit in mare. Poſtq́ autem claſſis applicuit contra urbem geſta res eſt, non tamẽ Veneti ciuitatem ceperunt, quia ſolũmodo tormentis bellicis agebatur, ſed ſublata omnis uindemia, & ager deſolatus eſt. Atq; ãplius quia fluminẽſes hoſtes auſi fuerãt in portu Curitæ inſulæ cymbam onuſtã mercimoniis capere, Philippus baduarius illam iniuriam grauiter ultus eſt. Nãq; cũ triremi, & duabus uniremibus in regionem hoſtium uenit, oppidũq; Lauranium ui cepit & diripuit. Verũ poſtea cum abiiſſent claſſis præſidia, in caput Venetorum ea faba iterum cudebatur, quia propterea plures copiæ hoſtiũ conuenerunt iterũ agros uaſtare, & plus ſolito prædas agere, atq; amplius cũ deſolata eſſent omnia citra Quietũ fluuiũ, hoſtes quingenti equites, & duo millia peditũ deditione etiam potiti ſunt Caſtronouo Iſtriæ, & oppido Raſpruchio. Sed paulopoſt Chriſtophorus frangipanes cum parte copiarũ ad tuenda propria receſſit, quia Angelus Triuiſanus cum ſexdecim triremibus in Iſtriam uenit, & primo quoq; tempore contra Ciuitatem Fluminis tormentis bellicis acriter agebatur, poſtea atrox certamen fuit, deniq; urbe ui capta, omnia prædæ militibus fuere, & ſolo æquata ciuitas eſt, atq; amplius Veneti iterũ terra mariq; contra urbem Tergeſtũ in expeditionẽ ibant. Sed quia ciuitatem armis uiriſq; bene munitã uident, & adhuc ſatis ad rem agendã copiæ comparatæ non erãt, primo quoq; tẽpore ſtudebatur agros

uaſtare & prædas agere, & poſtea in Raſpruchium omnibus uiribus ibatur. Nãq; milites & nautæ ſimul oppidũ aggreſſi ſunt, & primo tormentis militiæ geſta res eſt, et deniq; admotis ſcalis in oppidũ ibatur, atq; illo ui capto omnia prædæ militibus fuere, quibus peractis Veneta claſſis abiit, & Germanus hoſtis iterum in Iſtriam uenit, & ſæpe Veneti uincebantur. Adeo frequẽter fiebat, ut modo Venetis, modo hoſtibus uiciſſim proſpera omnia cederent, dum modo horum, modo illorum uires ampliores eſſent. Nuper uero Venetorũ ſolũmodo ſita ſpes erat ſuper induciis de quibus agebatur, ſimul ac ultro Chriſtophorus frãgipanes ſub Venetis auſpiciis merere uellet. Sed tantum abfuit, ut inducias non pepigerint et Chriſtophorus frangipanes hoſtis iterum uenit, quia nunq; e ſenatu cõſulto litteræ redderẽtur. Itaq; bellum maius in Iſtria uigebat, & omnes conuerſi in trepidiſſimã fugam erant, ſeq; in pedes proripiebant cum liberis & coniugibus, ubi ſe tutos fore putabãt in ciuitatibus, atq; obiter rura & oppida hoſtibus prædæ relinquebãtur, & tota deſolabatur prouincia multa animalia in quibus potiſſimũ omnis opulentia conſtat, ultra montes abigebãtur, multi mortales interficiebãtur, multi quottidie captiui fiebant, & omnia conſumebantur, quæ hominibus & cæteris animantibus eſculenta & poculenta ſunt. Igitur ad eam rerum penuriã tollendã ſimul cum dignitate & amplitudine reipublicæ, ut facilius oĩa tuta eſſe poſſẽt

contributæ pecuniæ machinæq; & omnia utilia, datumq́ negocium eſt, Damiano Tharſio, ut mille pedites in prouincia deligat & exerceat, alamq́ equitum adſcribat, qui poſſint auxilio ſemper eſſe, & omnem uim hoſtium comprimere. Parte alia interea relicto præſidio Tauriſii quod ſatis eſt, omnis exercitus Patauium ſe contulerat, curabaturq́ urbē omnibus modis munire, mœnia & ꝓpugnacula reparare, & alia omnia facere, quæcūq; uſui forent. In primiſq́ longe lateq́ proſpicere qua uia optime poſſent uti uictoria atq́ ea fortuna, quæ opera agreſtium ſedulo aſpirare uidebatur. Sed tantum abfuit, ut dum Veneti ſemper differunt in aliud tempus ultro ſe dedentem Vincētiam & Veronā recipere, fortuna inconſtans prolapſa ſit. Nāq́ galli ad tria millia equitum in caſtra Regis romanorū uenerūt, & propterea cōſtabat omnis exercitus hoſtium decem millibus peditū, & ſex millibus equitum, ut Veneti non amplius inferrendi belli, ſed potius ſe tuēdi, & propulſandæ iniuriæ ſtudioſi forent, & eorum omnis exercitus urbem Patauium ingreſſus eſt, poſitæq; cuſtodiæ per loca cūcta, & ordines diſtributi ſunt, ut oēs equites grauis armaturæ intra prima mœnia urbis cōtinerentur, nec non ea parte ſemper uſui eſſent, qua maius periculum imminebat. 'ntus uero quod eſſet fori præſidio, parte altera Citoli peruſini, parte altera Lactantii bergomēſis acies bipartiti ſunt, & ne aquæ adimi poſſent, quæ apud liminiū oppidū manufactis obicibus diuer-

trunt circũ circa Patauiũ, obſirmati illi obices ſedulo, & claſtra ſudibus complicatiſq; trabibus & multi-plicibus ferramẽtis, quãtũ fieri potuit ſummopere mu-nita ſunt. Dum ea uero agerẽtur Patauii, agreſtes in-ſulæ Scalanæ ſolicitabãt magis magiſq; Carolũ Ma-rinum, qui nuper Lemniacũ immunitũ receperat, eo præſidiũ mittere, aiebantq; ſua opera fore, ut prædã opulentã agant, & Marchionẽ Mãtuæ ſuoſq; ſexcẽ-tos milites, qui nuper illuc uenerant, incautos ado-riantur & opprimant. Carolus in ſpem potiũdæ ui-ctoriæ ductus illico de ea re legatos in caſtris cer-tiores facit, ſimulq; auxiliũ ingens expoſtulat. Igitur Veneti legati ſtatim iubent Luciũ maluetiũ & Ci-tolum peruſinum cum ducẽtis equitibus leuis arma-turæ, & octingentis peditibus ex Patauio proficiſci Lemniacum. Et illi deinde cum aduesperaſceret ce-perunt iter facere uerſus Inſulam Scalanã iũctis co-piis cum Hieronymo põpeio, Petro puluereo, & Vin-centio caſſineo, ut omnes copiæ eſſent trecẽti uiginti equites leuis armaturæ, & quinquaginta tres equites grauis armaturæ, octingẽtiq; pedites, & mille quin-genti agricolæ. Poſtea itũ eſt quadrato agmine prope uillam uſq; ad mille paſſuum, deinde acies bipartiti ſunt, atq; aliæ occuparunt exitus uiarũ, & primi pe-dites uillam ingreſſi ſunt, cõfeſtimq; Marchionis do-mum obſederũt, & domos alias, in quibus milites ha-bitabant, uociferandoq; conati ſunt maiorem trepi-dationẽ incutere. Hoſtes uero nihil tale unq; ueriti

incauti & ſemiſopiti, pars ſeſe dedere, pars arma caↄpere & obuiam ire. Sed omnes oppreſſi multitudine facile trucidabantur, quicũq; uellent obſiſtere, denicꝫ paſſim deditio facta eſt, atq; omnia prædæ militibus fuere. Et quidem ipſe Marchio ſub noctis tenebris per poſticum aufugerat, atq; inter uepres & arbuſta laↄtebras quærebat, ſed interuentu diei latitantem eum poſt melicã uiderunt ceperũtq; quatuor agricolæ, & nunqꝫ flecti precibus aut pollicitis potuerũt, ut eum manumitterẽt. Ita ſorte dabatur, ut maxima pars uiↄctoriæ eorum eſſet, qui eius rei primi auctores fueↄrãt, ſicut & poſtea cummulati muneribus & immuↄnitate donati ſunt. Quanto autẽ uictoria maior fiat, tãto maiori ſtudio uſi ſunt, ut Marchio & cæteri captiui quam tutiſſime conducerentur Venetias. Nãqꝫ omnes copiæ quæ eius expeditioni interfuerãt, Marↄchionẽ & captiuos comitabantur, & ne qua uis inↄgruat ex Ferraria, Andreas Grittus cum centũ equiↄtibus grauis armaturæ, & quingentis peditibus illis obuiam uenit, & ſimul ac ad Ateſte oppidũ uentum eſt, cuſtodiæ domui appoſitæ ſunt, in qua Marchio cum captiuis aliis habitabat, deinde Pataniũ & ſecũↄdo flumine Venetias uenit, ubi Marchio cum magno clamore exceptus eſt, & diligẽti ſub cuſtodia popuↄlariũ in turri ſupra comitia ſeruabatur. Interea uero omnis exercitus hoſtium ad uiginti millia hominum accreuerat, atqꝫ progreſſus uſqꝫ oppidũ Liminiũ, cum maxima cuſtodum cæde, illud ui ceperat ademeratqꝫ

aquas diruptis obicibus, ne poſſent ãplius Paduæ ad mollas triticeas ſuppetere. Deinde germani hoſtes agros uaſtare, prædas agere, omnia diripere, omnia igni ferroq; ſubuertere. Et parte alia Ferrariẽſes hoſtes identidem facere, unde paſſim fuga facta eſt, & ad imas paludes abducta cũcta animalia ad Caputaggeris decem millia, & ad Montemalbanũ uiginti millia, atq; illis interciſis itineribus & congeſtis aggeribus infœlices agricolæ ſubſidio ſtabant, & armata nauigia cũ tormentis militiæ. Senes uero pueri & mulieres cum paupere ſupellectili Venetias uenerunt, quibus ex publico ærario penus inſtructum eſt, parataq; habitacula. Et quia continue nouæ familiæ pauperũ confluebant, Patres ſtatis locis diſtribuerunt nauigia, & conſtituerunt portoria, ne quis pluſſatis exigeret. Hoſtes uero cum parte copiarum ad prædam Montis Albani repente digreſſi ſunt, & quidẽ ſolũmodo tormẽtis militiæ ea geſta res eſt, quia omnes Veneti terra mariq; ſtatim fugerũt, & reliquerunt duas naues hoſtibus impune cõburere, atq; multa animalia abducere. Parte alia Ferrariẽſes hoſtes, ut cõmodius poſſent prædas agere, primo quoq; tẽpore erexerũt propugnaculũ in Atheſi flumine prope Caputaggeris, atq; inde miſeris agricolis frequẽter obuiam ibant, neq; cõtra ſatis ulla uis erat, dum ſtatim redire in caſtellũ facultas eſſet. Igitur Marcus antonius contarenus præfectus claſſis padanæ cũ octo cymbis, & manu collectitia repente locum ag-

greſſus eſt,& poſt diutinũ certamen illud ui cepit,et ſolo æquatum eſt. Nibilominus hoſtes germani cum manu prædatoria ſæpe uicti cæſiq; ſunt, dũ illi paſſim prædari uolunt,& Veneti acriter illis ubiq; obuiam ueniſſent ad Butinicũ, Lizafuſiniũ, Mergarã, & Meſtrum oppidũ. Sed Veneti illud magis aduertebant, quod hoſtes interagendũ ſe propediem obſidionem illaturos Patauio minabantur expediendo & parando omnia,quæcũq; uſui forent. Igitur Patres ſoliciti de ſumma rerum noctu frequenter & interdiu quid agendum conſulere ,deinde maturare, facere, & nihil intẽtatum relinquere,feſtinare,parare, mittere Patauium tormenta militiæ, inſuper inſtrumẽta bellica,& munimẽta cuiuſcũq; generis, atq; affatim pecunias,& farinæ ingentem copiã ſubuehere,populares cunctis Venetiis uicatim adſcribere, quacunq; pedites adcerſcere,& Patauium ſupplemẽtũ exercitui mittere,deniq; omnia facere,quæ conferre uiderentur leuandæ obſidioni illius urbis,in qua proculdubio omnis uis incumbebat ſeruandæ reparandæq; reipublicæ. Pari modo ut res ipſa tutius procederet ſi nobiles quoq; cũ adſcriptis peditibus illuc auxiliatũ eãt, cõuocatis cõmitiis Leonardus Lauredanus Priceps iclytus in hãc ſentẽtiã locutus eſt. PRAEFARI REM ueſtram agere .P. C. ſupremũ exordiũ & artificioſa inſinuatio uideri poteſt in re tam ueſtra. Neq; enim magis aliud ueſtrum eſt,quam patriæ ueſtræ tuẽdæ frequens ſtudium,de qua re pro

fecto ſolūmodo nuper agemus, quatenus de ſeruanda urbe Patauio dicturi ſumus. Nāq; Patauiū ſuburbium ueſtrū eſt, atq; inde pendet ſalus iſtius urbis & rei- publicæ, & iccirco iſtud conſilium tuēdæ urbis an- tecapere debetis, cum eiuſmodi iſta ſint, ut niſi pro- uideris ne accidant, ubi eueniunt fruſtra ignauiā tuā incuſes, aut deorum auxiliū implores. In uobis uero tuendæ reipublicæ facultas eſt, ſi modo parati eſtis ueſtris opibus & pectoribus rēpublicā iuuare, ſicut & nos decet facere, qui romanorū imitatoees eſſe uul tis. Bello punico ſecundo cum exhauſtū ærarium, ne deorum quidē cultui ſufficeret, Publicani ultro adi- tos Cenſores hortati ſunt, ut omnia ſic locarent, tanq̄ reſpublica pecunia abundaret, ſeq; præſtaturos cūcta nec ullum aſſem, niſi bello confecto petituros polliciti ſunt. Domini quoq; ſeruorū, quos Sēpronius gracchus ob inſignem pugnā beneuenti manumiſerat, precia ab imperatore ſuperſederūt exigere. In caſtris etiam nō eques, non centurio impendium dari ſibi deſiderauit. Viri ac fœmine quicquid auri, argenti ue habuerūt. Item pueri inſignia ingenuitatis ad ſuſtentandā tem- poris difficultatē contulere. Vos ergo ſequimini iſta ueſtigia, & libēter locate ueſtram operā ueſtræ pa- triæ in tanto rerum diſcrimine. Et quidē a nobis etiā ceptum eſt filios noſtros Aloyſium & Bernardū cū centum peditibus Patauiū mittere, & uos operæpre- cium eſt identidem facere, aut uos ire, aut filios, aut nepotes ueſtros mittere, qui auxilio eſſe poſſint ſin-

guli quicꝫ cum peditibus, quatenus opes ueſtræ poſſunt ſufficere. Nãcꝫ tanta temporum difficultas eſt, ut nemo poſſit ſuam operã negare, ſine nefario ſcelere, quando quiſq; plurimũ patriæ habeat acceptum referre. Agreſtes quocꝫ populareſcꝫ ueſtri ad uiginti millia hominũ ueſtra auſpicia libentius ſequentur, ſi & uos imperata feceritis. Tunc enim facile omnes obediunt, ſi quæ aliis imperes, tu prius præſtiteris, et id tanto magis uos decet præſtare, quanto magis ueſtra intereſt, qui ſenatores eſtis, & republica magis magiſq; fruimini, ut ſicut Senatus Populo honore præſtat, ita uos ad omnia dura & aſpera ſubeunda primi duces eſſe debetis, & nihil dubitare præſertim modo, cum aliquanto fortuna mitior ſeſe offerat, & benignitate Deum iam id paremus, atcꝫ agamus, ut propediem obſidione ſoluta, ultro hoſtẽ poſſimus inuadere. Necꝫ cuiꝗ ueſtrum uideatur maius id audatiuſcꝫ conſilium, quam exigat cladiũ nuper acceptorum recẽs memoria, ſiquidem fortuna reipublicæ & uirtus deſperare de ſumma rerum prohibet eo fato, quo donata nobis ſors eſt, ut magnis omnibus bellis uicti uicerimus. Vetera omitto gallos hoſtes & mauros ſarracenos, atcꝫ ueteres inexhauſtas inimicitias ligurum, & bella periculoſa uictis ſimul & uictoribus, quot padanæ claſſes, quot Duces, quot exercitus? bello philippico amiſſi ſunt. Quid hoc bello gallico memorem profligatũ exercitum noſtrum ad flumen Abduã, & conuerſum in fugam turpiſſimã, uſcꝫ

Meſtrum oppidum. Adde feſtinã defectionẽ oppidorũ omniũ, & cunctarũ urbium noſtrarum. Adde tantam in urbe trepidationem, & ingentem tumultũ. In hac tamẽ rerum intemperie & imminẽti naufragio Veneta nauis & reipublicæ cõſtans uirtus, tanq̃ rupes caucaſea, ſtetit una integra ĩmobilis, ac omnia ſtrata humi erexit, & cuncta deperdita ſuſtulit. Vos primi Senatores poſt abduenſem cladẽ ueſtro ductu & ueſtra opera, ueſtris pecuniis affatim datis militibus, ueſtris conſiliis auſpicatiſſimis rem uenetã, uos filios ac uxores ueſtras, & lares ueſtros tutati eſtis, atq; nullum iam reipublicæ nomẽ eſſe obſtitiſtis. Nunc benignitate Deum omnia aliquãto lætiora & meliora futura ſunt, procul abeſt hoſtis inuictus Rex gallorum, neq; germanorũ multigenas copias uereri debetis ſine duce, ſine ordine, ſine imperio, ut ualde inconueniens eſſet, ſi uos qui labantẽ fortunã reipublicæ nuper ſuſtinuiſtis, nunc ipſi quia illius omnia lætiora & meliora ſunt animis deficeretis. Hæc fateor tamen acerba ſunt, ſed fortuna ueſtra uobis ſuadet, ne in peius collabamini. Quẽadmodũ & medica pharmaca acerba ſunt, illa tamen reparãdæ ſanitatis gratia ſumuntur. Rex Athenienſium Codrus addicẽte Apolline delphico bellum aliter diſcuti nõ poſſe, ne Athenæ occiderent ipſe mortẽ oppetere paſſus eſt. Quid loquar Decios, aut præcipitem Curtium? qui pro patria mori nequaq̃ ueriti ſunt, dum ei profuturi uiderẽtur. At qui uos. P. C. non pro patria ad certam

mortem, ſed pro patria ad certã uictoriã hortamur, nullus enim exercitus eſt, qui poſſet unq̃ capere uiris armiſq; tam bene munitam urbem Patauiũ. Igitur in ueſtra manu ſita uictoria, & tuendi ueſtri ſuburbii facultas eſt, ſi nunc adeo cum ueſtra res agitur, uobis ipſis & reipublicæ conſuletis. atq; ut ſemper feciſtis, & nunc aſſueta uirtute ueſtra, & noſtra hortatione enixe operã dabitis, ut res ueſtræ omnes priuatæ ſaluæ ſint republica incolumi, quas aliter rempublicam prodendo nequicq̃ ſerues. Poſtq̃ Dux ipſe conticuit totis comitiis conſenſum eſt, quiſq; principi gratias agere, ac interiecto certamine iuuandæ reipublicæ, quiſq; ſuam operã libenter polliceri, quiſq; prima inter primos nomina ſua uelle in tabulis publicis eſſe, ut nec princeps accipiendo, nec ſcribæ referendo ſufficerent. Primates filios ſuos aut nepotes mittere, alii pecuniã dare, alii ipſimet ire, deniq; omnes certatim omnia facere, quæcunq; uires ſuæ paterentur, ut ex cunctis Venetiis cum trecentis nobilibus, & decẽ millibus hominũ Patauiũ iretur. Sed Patauium ſtudiorum placidiſſimũ gymnaſium, & urbem immunitã, quã e Troia profugũ Antenorẽ condidiſſe ferunt, tunc Imperator exercitus & legati in alterã faciem mutare, ſummo ſtudio perficiendo munire, foſſas augere, mœnia reparare, & alterum murũ e terra congeſtum educere, propugnacula munitiſſima conſtruere, intus & extra prope urbẽ omnes domos demoliri, atq; paſſim itinera leuigare, ut ſine impedi-

mento milites poſſent exercere opera militiæ, deniq; in urbe militum ordines diſtributi ſunt, & uiſum eſt omnes leuites extra mœnia ſtare, hoſtem exercere, ordines diſturbare, annonã diripere, ſæpe etiam pabulatores & palãtes alios inſidiis intercipere, deniq; omnibus modis, omnibus locis, quãto maxime poſſent hoſtibus infeſtos eſſe, & ubiq; ſociis auxilio feſtinare. Sicut & nuper agricolis, qui ſe muniuerant ad pontem uillæ Tencharollæ, & hoſtibus fortiter obſiſtebant, Veneti leuites repente ſubſidio uenerũt, & hoſtes fuſi fugatiq; ſunt. Atq; amplius parte alia Ioãnes maria frezoſius cum parte exercitus comitem Philippum mariã rubeum apud Vincẽtiã aggreſſus eſt, dum ille cũ trecẽtis leuitibus annonã in caſtra hoſtium comitaretur, Et quidem primo atrox certamen fuit dũ utrinq; nihil prætermittitur, quod uſui foret, deniq; apud Venetos ſtetit non incruenta uictoria, ſed maior cædes hoſtium fuit, & multi eorum cum duce Philippo capti ſunt. Hoſtes uero primo quoq; tempore expectare Ferrarienſium gallorũq; auxiliares copias & germanos milites, qui quottidie in caſtra hoſtiũ confluebant. Poſtea agros uaſtare, animalia abducere, oppida diripere, nunc omnis exercitus ad urbem procedere, & ad Baſſanelli pontem ire, ut locum caſtrametãdi proſpiciat, nunc ne machinis offendatur, paululum recedere, quottidie leuibus certaminibus cõtendere, modo ſcorpionarii equites leuis armaturæ decompacto certare aduerſus ſcorpionas

rios equites hoſtiū;modo utrinq; centeni pedites di-gladiari inuicem,multi utrinq; cadere,nunc hi nunc illi recedere.Et nuper quidem anceps prælium ſtetit & prope urbem uario euentu ea geſta res eſt,deniq; cū adueſperaſceret hoſtes uiſi ſunt uelle obſidere Pa-tauiū,ſed tātū abfuit,ut illi ſtatim inde uerſus Abba-num & montes ad conſuetam prædam digreſſi ſint. Contra milites Veneti pedites equiteſq; leuis arma-turæ,eos quaſi fugientes audacter ſequebātur, multa impedimenta ceperunt,multi pedites & equites ho-ſtiū capti ſunt.Et quia hoſtibus ea ualde moleſta res eſt,illi primo quoq; tempore Ateſte oppidum capiunt & diripiūt, deinde Mōſilicem oppidū acriter oppu-gnare aggreſſi ſunt. Eſt autem Monſilex haud longe diſtans ab urbe Patauio oppidum parum munitum, ſed arx eius in mōte prærupto ſita eſt.Et primo qui-dem contra oppidum tormentis militiæ acriter age-batur, & Veneti centum quinquaginta pedites cum Petro gradonico præfecto,& duce Paulino curſio ni-hil omnino uereri uidebātur,omnes ſub imperio eſſe & ſub ordinibus militiæ, omnes cuncta officia libē-ter facere,quiſq; locum ſeruare, quiſq; hoſtibus ob-uiam ire,atq; eū mœnibus deturbare, & tueri om-nia.Poſtremo autem Veneti ingruēte hoſtium mul-titudine ſatius & tutius rati ſunt imminenti periculo cedere , & ab omnibus in arcem protinus itum eſt, ubi belli uis maior incubuit.Nāq; oppidū ſitum erat in plano , & ex ea planicie mons ſaxeus inſurgebat

undiq; præceps & ſatis patens mediocri caſtello, cũ uirorum, armorũ, frumenti, uini, & olei, ſatis magna uis erat, locus importunus tormentis & inſtrumentis militiæ. Simul ac enim ea agebãtur, & paulo proceſſerant, Veneti e mœnibus igni aut lapidibus corrumpere, milites quicũq; pro opere parum conſiſtebant propter iniquitatem loci, neq; inter inſtrumẽta militiæ ſine periculo adminiſtrabant, toto colle facile detrudere, acriter præ mœnibus certare, optimum quemq; hoſtiũ interficere aut ferire, & cæteris metum incutere. Contra hoſtes cuneo repente facto Venetos inuadere, omnes paritẽr omnibus locis cuncta pericula ſubire, terrere tormentis militiæ, tentare, inſtare acriter in caſtellum uadere. Et iam Venetorum ſpes omnis in ſola deditione ſita erat, de qua cũ hoſtibus agebatur. Sed hoſtes conſultando potius ea occaſione rerũ bene gerendarũ acriter uſi ſunt, Venetos milites loco deiicere, multos occidere, ſcalas admouere, murum aſcendere, & ſuper occiſorũ corpora in caſtellum ire. Itaq; Arx Monſilicis oppidi omnino ſatis munita in hoſtium poteſtatem uenit, & omnia prædæ militibus fuere, p̃fectus & pauci alii captiui facti ſunt, & de cæteris omnibus magna ædita cædes eſt, deniq; hoſtes gloriã inuenerunt ex ea re, quam temere aggreſſi ſunt, & tempus contrituri uidebantur. Capto Caſtello hoſtes iterum in omne ſcelus prolapſi ſunt inhumanũ ſæuumq; facere quantum dici & excogitari poteſt, paſſim agros uaſtare,

ſtare,prædas agere,ſæuire,interficere, uiolare,ra-pere,populari,comburere. Sacratiſſimũ quoq; Chriſti Corpus ſupadditis uerbis ſceleſtiſſimis in terrã proii-cere,& diuina omnia fœdare. Deniq; crudeliter agẽ-do iterum ad pontem Baſſanelli reuerſi ſunt, & co-nabantur iterum aquas adimere,ſupra Baſſanellũ foſ-ſam ducere, & Brentã omnem dictũ olim Meduacũ fluuium uerſus Monſilicẽ diuertere. Contra Veneti acriter obſiſtere, & e regione compactis aggeribus reparare, foſſores hoſtiũ impedire tormentis militiæ, tegumenta humi proſternere,& cuncta infecta red-dere. Sed interea exercitus hoſtium numeroſior fie-bat uenerantq; ex Ferraria auxiliares copiæ Cardi-nalis eſtenſis cum centum militibus, ducentis leuiti-bus,octingentis agricolis,& multis tormẽtis militiæ. Hoſtes ergo quia nuper repulſi ſunt, ſimul ac prope urbem conſertum prælium eſſet, poſtea magis inſi-diis contendere aggreſſi ſunt,multi pedites tormen-tarii poſt diruta mœnia latebant, & Venetos ueniẽ-tes incaute immiſſa glande feribant. Sed ea ars parũ profuit,ſiquidem Veneti admouerũt ad locũ tormẽta militiæ,& ſtatim deiecerunt parietem, unde pleriq; hoſtium contriti, & reliqui in fugam conuerſi ſunt. Dum ea inuicem milites agunt, uiderenturq; hoſtes in procinctu eſſe urbi ſuccedere, Imperator exerci-tus & legati apud fanum Iuſtinæ conuocatos milites ad capeſcendã rempublicã hortabãtur,ſimul ac mi-litibus e Senatu conſulto in eam formã litteræ red-

deretur. ANTE HAC ſemper milites ſpes noſtra ſita erat in Deo optimo maximo, ut is nobis ſemper auxilio eßet, qui iuſtã cauſam ſemper fouet. Verum ea apud nos nõ amplius in incerto res eſt, quandoquidẽ eius opera idipſum fiat, ꝙ nos ſimul & uos ueſtris omnibus uotis ſemper poſtulaſtis, ut tantũ hoſtes morarentur, quantum muniendæ urbi ſufficeret. Iam uero benignitate Deum ciuitas apprime munita eſt, & omnia ſedulo ſubminiſtrauimus, quæcũq; uſui fore putaſtis, ut ſolũmodo illud ſuperſit uos agere, ꝙ ſemper polliciti eſtis urbe munita, & cunctis paratis ex ſententia, omnem obſidionem hoſtium fruſtra fore. Neq; profecto ſpes concepta uos fallet Deo auctore in uobis, qui in arte militari omnes ualde exerciti eſtis, ut opera ueſtra aſſueta, & uirtute ueſtra præclara, populiq; Patauini fide incõmutabili, facile omnes tuti eſſe poſſitis. Veniat quæſo in mentem modo quantum oculi omniũ in uobis cõuerſi ſint, ut uideãt quantum in rebus aduerſis animoſi & fortes ſitis. Vos omnes bellamini pro iuſtitia, pro ſalute propria, pro libertate Italiæ, quam ſemper hoſtes barbari dilacerare ſoliti ſunt, & modo eorum fides & animi quales ſint in totam Italiã, documenta certiſſima antiqua & recentia habentur, & nos poſteris exemplũ ampliſſimum futuri ſumus. Vos omnes bellamini pro fide Chriſti, quæ alioquin manifeſtũ periculum ſubiret ſi quod abſit hoſtes Pataniũ capiant. Contra hoſtes bellum iniuſtũ gerunt, inducias dolo malo & ini-

nta fœdera uiolarunt poſthabitis diuinis & huma-
nis cunctis rationibus, ut merito in eam ſpem ducti ſimus, qua putamus nobis auxilio fore Deum optimũ Maximũ, qui protector iuſtitiæ & ueritatis perhi-
betur. Igitur ueſtrum erit Milites acriter in hoſtes agere, & nuſq̃ deeſſe uobis & reipublicæ. Quod ſi feceritis ut uos facturos nõ diffidimus, inſeneſibilẽ glo-
riam uobis, apud omnes nationes merito cõparabitis, & nos geſtarum rerũ nunq̃ immemores, re et omni officio, dando & gratificãdo, de uobis ita benemere-
bimur, ut apud omnes nationes erga uos gratiſſimi non magis habeamur, q̃ ſimus. Poſtea legati in caſtris militibus in eam ſententiã dicebant, tantam eſſe rei-
publicæ ſpem ſitam in uniuſcuiuſq̃ militis & totius exercitus uirtute maxima, ut animata eſſet diuitiis & omni ui tutari libertatẽ Italiæ, & tantorũ uirorũ Ducum militũq; uirtutem exercitam, quæ alioquin hoſtibus barbaris ſemper inuidioſa ſit, & facile ex-
tingui poſſit, ſi illi Patauio potirentur. Accedere ad hoc aiebant, ut quiſq; ſumma ope eniti debeat, quod quiſq̃ pro comperto habet, omnia cõmoda, & omnes opes reipublicæ ſibi ſemper uſui fore, ſi modo ut di-
ctat ratio diuina fauente clemẽtia, atq; experta uir-
tute & ſedula opera militum, apud Venetos foret deſiderata uictoria. Nihilominus Imperator exercitus ſtans ante altare milites inhortabatur, ut rempubli-
cam ſuſcipiant, & pro uirili tantæ ſe expeditioni ac-
cingant, quam honoris eorũ gratia deinduſtria Deus

optimus obtulerat. Tũ orare, obteſtari, ſuadere queꝗ́ ſimultates deponere, & ſe ita componere, ut omnia amice gererentur, ſimulq́ ut illud fieret, quod uiderat in obſidione urbium ſolitũ fieri, quemq́ cogebat contactis manu ſcripturis in uerba concepta iurare, ſe conſtanter ſeruaturũ in omnibus fidem reipublicæ, & in hac urbe ſeruãda præcipue, qua cõſtabat omnis ſalus totius Italiæ, & ſimul ac ea dixerat, ipſe primus cepit iurare, poſtea legati, Ductores, & cætera multitudo idẽtidẽ fecit, & deinde per loca cũcta appoſitæ cuſtodiæ, & ordines diſtributi ſunt, atq; ſtatuerunt nocte qualibet alterum legatũ cum ala equitũ grauis leuiſq; armaturæ totam urbẽ perquirere, atq́ cuſtodias & duces peditũ in diẽ mutare, ne aliquis ſciret quem locũ ſortiturus eſſet, aut poſſet unꝗ́ de loco cum hoſtibus cõuenire. Portis autem præfecerũt nobiles Venetos a porta Crucis, uſq́ ad Pontem Buſſanelli Lactantiũ Bergomẽſem & Citolum peruſinũ cum peditibus locarũt. Inde uerſus Pontem Curuũ uſq; ad Portellum Dionyſium naldiũ, ad Portam Cataractã quadringẽtos pedites, ad Portam Caudæ longæ Bernardinũ parmenſem cum acie peditum, atq; ſtatis aliis locis muris & munimentis diſtribuere præſidia. Super Pratũ uallis Imperatorẽ exercitus, & Comitem Bermardinũ cum militibus, atq́ identidem cum militibus Antonium pium parte alia ſupra plateolã Antonii, & amplius trigita equites grauis armaturæ cum peditibus ad forum tuen

dum,atq; iubent alios milites & leuites ſemper præſto eſſe huc & illuc ire,utcunq; uſuueniet. Cæterũ hoſtes iterum ad prædã ibant uillam noſtrã Gurgẽſem Bobulentãq́ꝫ uillam,& omne ſolũ Plebiſſacci diripe,atq́ꝫ igni ferroq; ſubuertere.Poſtea omnis exercitus hoſtium auctus ad centum millia hominũ iterũ Patauium uenit.Et quidem a Portello Patauii,uſq́ꝫ ad portam Caudæ lõgæ caſtra hoſtium ſita ſunt, deinde ad Portam Portiæ, & ad Portam Caudæ longæ cœptum eſt tormentis militiæ ciuitatem concutere, & obiter arcubus in urbem multas ſagittas coniicere, cõuolutis litteris Regis romanorũ,quæ omnibus agẽtibus Paduæ in eam formã dabantur. DATVM eſt deinduſtria uobis omnibus longum tempus pœnitendi, & dedendi ſedulo urbem noſtram Patauiũ,ne urbe ui capta cum maxima ſtrage hominum, cuncta prædæ militibus foret. Nunc uero cum uelimus urbem ui capere,ne patiamini ea quæ uicti capta urbe pati ſolent, uos antea certiores fieri curauimus, ut dum uobis integrum eſt clementiã potius ꝙ̃ uim noſtram experiri uelitis.Itaq; hortamur uobiſipſis conſulere,& noſtra diutina patientia non amplius abuti uelle.Aliter ſcitote proculdubio fore, ut cum uolueritis incompreſſo impetu militum, non amplius locus pœnitentiæ ſupererit. Sed Veneti milites nihil prorſus timere,infenſi intẽtiq; ſine tumultu manere,prælium audacter expectare,et ſolũmodo tormẽtis bellicis agere,modo ſtare,modo obuiã ire,nunc pedites

aliquot nocte intempeſta uſq; ad hoſtium tẽtoria repẽte uadere, & eum impræmeditatũ tubis, & ſublato clamore perterrefacere, nunc interdiu equites pileati haſtati caſtra hoſtium circuire, & ubiq; infeſti eſſe, ordines diſturbare, multos ferire, aut perimere, nõnũnos ſemper intercipere. Nãq; quouſq; contra Patauium ſtatũ eſt, noſtri quottidie ad minus quinquaginta equos prædati ſunt. Hoſtes uero nuper quaſi urbem oppugnaturi agmine facto uſq; ad Portellũ Patauii uenire & recedere uiſi ſunt, & deinde uenerunt ad Portã Caudæ longæ, ubi primo tormentis militiæ acriter geſta res eſt, & poſtea hiſpani pedites propugnaculum oppugnare aggreſſi ſunt, atq; nemine reſiſtente murum incuſtoditũ aſcendere. Contra Citolus peruſinus eo ſtratagèmate acriter uſus eſt, & delecti pedites qui intus præſidio ſtabant. Nãq; ictibus haſtarum & elaboratis ignibus ita impetuoſe & repente cum hoſtibus geſta res eſt, ut omnes illi' ducẽti, qui munimenta ſuperauerãt, afflicti ſint, cæteri quomodo potuere pauci integri magna pars cõfecti uulneribus in pacatum abire cõpulſi ſunt, & hoſtiũ audacia cõpreſſa eſt, uidebaturq; fore, ut Veneti acriter obſiſtant, ſi modo pecuniæ ſuppeterent, quarum inopia iam conducticii milites, quibus ſtipendiũ debebatur, clamitare, dolere, proteſtari, ſi ea de cauſa ſecus res cederet, multi officia militiæ recuſare, non ſigna ſequi, nõ ordines obſeruare, non amplius ſub imperio eſſe, ut reipublicæ in dies maius periculũ im

mineret, niſi opportunæ ex Venetiis pecuniæ portaren-tur. Erant autem cuncta hoſtibus obſeſſa itinera, præter illud, quo ex monte Abbano Pataviũ itur, & ideo ea parte pecunias excipere trecenti ſtratiotæ græci equites præmiſſi ſunt, & deide cum duce itineris Lucio malvetio equites gravis armaturæ, & equites ſcorpionarii ingens præſidiũ ibat. Iamq; receptis pecuniis equites pileati haſtati redibãt, & intereundum vident, hoſtes gallos octingentos equites alonge, & Pataviũ protinus illos anteveniunt. Nãq; reliqui levites & omnes milites ut conducendæ pecuniæ tutæ eſſent, obiter conati ſunt hoſtibus obviã ire, & ultro etiam invadere. Sed eo primo congreſſu militũ pulvis in nubem ſublatus utriq; obcæcatis militibus conſertum atrox prælium diremit. Itaq; milites Veneti potuerunt impune Pataviũ venire, & pecuniæ delatæ ſunt. Iã vero Patavii magna pars muri procubuerat, & ecce mœnibus repente ſubeunt duæ turmæ hoſtium, quarũ altera militũ, & altera levitũ erat, cum multis peditibus. Contra Veneti quadringenti pedites tormẽtarii poſt mœnia latent expectãdo, donec hoſtis proximior fieret, deinde omnes pariter hoſtem contundunt glãde plumbea, multos interficiunt, plurimos ſauciant, atq; omnes alii in fugã converſi ſunt. Sicut & frequenter fiebat, & quottidie levia cõmittebãtur certamina cum hoſtiũ magno malo. Nãq; habitis pecuniis milites Veneti in officio eſſe, collapſa mœnia reparare, & imperata faceſcere,

ſimulq; omnes uiri Patauii cũ clamaretur ad arma, libenter arma expedire, & locũ audacter capeſcere. Rex autem romanorũ quia uidet Venetorũ ſocios & milites intentos eſſe fortiter urbẽ ſeruare, cuſtodire, protegere, non contentus ſecum habere contra Patauium germanos, gallos, hiſpanos, & gentem Italiæ, cepit etiam ſedulo contra Venetos per oratores cum turcis agere, atq; amplius in Venetos mouit Regem pannoniæ. Et iam rumor ceperat increbreſcere, illum cõtra Dalmatiã bellum moliri, & ad eam rem claſſem gallicam & hiſpanã propediem expectare. Igitur Patres neceſſitate compulſi, & quia antehac Turcæ polliciti fuerant ſe Venetis auxilio fore, quandocunq; uſu uenerit, primo quoq; tempore Aloyſiũ raimundũ Oratorem ad Turcas mittũt oblata gratanter excipere, & cum nuper uideretur ſuam operã uſui fore, eorũ auxiliũ implorare, dicere, Regis ipſius rem pariter agere, ſiquidem Reges ea de cauſa conuenerũt in Venetos, quia ipſi noluiſſent fœdus initũ cum Rege Turcarum uiolare, ut cum Venetos e medio ſuſtulerint, de Turcis facile actum putent. Venetorum quidem uires amplas eſſe, ſed tantis regum omnium uiribus an poſſint ſufficere in icerto res eſt. Sua itaq; intereſſe rempublicã armis uiriſq; tẽpeſtiue iuuare, & ſibi propterea ſemper eam obnoxiã reddere. Pari modo Patres Regi Angliæ ſuadere conati ſunt, adeo implicito Rege gallorũ rebus Italiæ, ut facile uinci poſſet, ea nunc uti occaſione inuadendi & debellãdi

gallias, ſicut olim fecit Henricus Rex Angliæ. Aliter aiebant proculdubio fore, ut Regis gallorũ nimia potentia Regi angliæ formidoloſa etiam uideretur. Et quidẽ Turcæ libenter polliciti ſunt præſtare auxilia, ut Veneti eo oratore obtinuerint, ne dum ut Turcæ hoſtes Venetis non eſſent, ſed etiam ut ſedulo afforent auxilio ſi eorum opera uti Veneti contenti ſint. Et Rex angliæ contra gallos animatus erat identidẽ facere, atq; expectabat ſolũmodo pſonã exuere, quæ ſub tutore adhuc erat. Cæterũ Patres illud maxime curare, & quæ leuandæ obſidioni uſui forent cũcta facere, feſtinare, parare alterum exercitũ apud Meſtrum oppidũ, e manu collectitia, cũ peditibus & eqtibus grauis & leuis armaturæ, qui Tauriſii alioquin ſub legato Petro marcello præſidio morabãtur, ut ſimul a tergo laceſſitus hoſtis ab urbis oppugnatiõe diſcederet. Nãq; aliter ubiq; hoſtis infeſtus erat, & nuper ſtructa acie ad urbem oppugnandã uenit, ingreſſiq; pedites foſſam propugnaculi Caudæ longæ conabantur illud ligonibus a fundamentis deſtruere. Contra citi Veneti obuiã ire, igni ferroq; miſſilibus telis & tormentis bellicis hoſtẽ repellere. Atq; idẽtidem parte alia Veneti ducenti pedites iuerunt lãceis, hoſtium tormentorũ foramina obturare, & pulu erem igniferum cõburere. Et amplius equites leuis armaturæ per portã Cataractam profecti ſunt uſq; ad uallum hoſtium præliũ cum peditibus inire, aliquot interficere, & omnes perterrefacere. Quæ cũ

primũ Regi romanorũ relata ſunt, ipſe protinus hortator adeſt in hoſtes ſtimulãdo militũ ſuorum ignauiam, modo incuſat, modo ſpe præmiorũ uirtutẽ accẽdit, et captæ urbis prædã edicit militũ fore. Sic milites extẽplo accẽſi ſunt, & iterũ ſub ſignis & ſub ordinibus militiæ in expeditionẽ ibatur. Et quidem ad propugnaculũ Caudæ longæ iterum tria uexilla germanorum peditum alios anteueniunt, deinde ſcalas admouerunt, & ſumma ope nitebantur murum aſcẽdere. Contra Veneti acriter obſiſtere, hoſtẽ loco deturbare, deniq; cõſerto prælio tam multos tormẽtis militiæ, & elaboratis ignibus, aut ſauciare, aut cõficere, ut ex omni exercitu hoſtiũ, nemo amplius inceptũ opus aggredi auderet, ſed quiſq; cum ſuo magno malo ab inceptis exploſus eſt. Igitur hoſtes quia uident urbis potiundæ nullam ſpem eſſe, ut pariter Venetos excirẽt ſub ſignis militiæ ſtare, ipſi diſſimularunt omnia parare & facere, quæ futuræ oppugnationi uſui fore uiderentur, & deniq; noctis ſilentio obſidione ſoluta protinus loco receſſum eſt. Veneti uero milites armati intenti hoſtem expectando totã noctem inſomnẽ duxerant, & cum primũ illuceſceret pedites aliquot uiſum exeunt quid hoſtes agant, ſublata tormenta militiæ & hoſtes abiiſſe uident, ſicut & Patauium relatũ eſt. Sed ſoli milites Italiæ galli & hiſpani abierant, germani uero cum Rege Maximiliano manſerant, & cum primũ poſtera dies oriretur, ſublato clamore repente muros & propugnaculũ

Caudæ longæ iterum adorti ſunt, ſimulq; pluribus locis ceperunt urbem acriter oppugnare, mœnibus ſubire ſcalas admouere, murum aſcendere. Contra Veneti milites intenti paratiq; ſtare, ſemouere hoſtē miſſilibus telis, & nihil tutum munimentis pati, deinde atrox certamen fuit, & deniq; hoſtes fuſi fugatiq; ſunt, atq; inde abierūt cum magna ignominia, ſicut & Cæſar abiit protinus in germaniā. Et quidem nunq̄ apud Pataium totis uiribus geſta res eſt, quia dum ſæpe in quæſtionē ueniſſet, Fracaſſius Seuerinas ſemper eius rei dehortator erat, ſimul ac uidet gallos nolle prælium inire, ſed ſolum ſubſidio ſtare procul a Pataio per tria milia paſſuum. Nāq; ex urbe tormentis militiæ adeo acriter agebatur, ut qui prope eſſent, non poſſent habitare, niſi in ſcrobibus. Ipſe autem uerebatur ne alioquin germanis contra ſpem eueniat, & galli illis etiam infeſti ſint. Atq; amplius diebat neceſſe eſſe ad triginta milia hominū perire, ſi in certamen iretur, quod Rex Maximilianus fieri nolebat, quia non poteſt pati hominem mori, & humaniſſimus eſt. Soluta autem obſidione primo quoq; tempore Veneti ſtipendiū militibus dare, annonā curare, ubiq; ſociis auxilio eſſe, aquarum repagula demoliri, & pādere obturata itinera, atq; obiter ut hoſtes longius abeant expectare. Contra hoſtes agros uaſtare, prædas agere, oppida & ciuitates diripere, & magnis cōtributionibus grauari, uillas paſſim cōburere, & maxime agricolis infeſti eſſe. Verum ut

ſæpe fieri ſolet inter nationes ex opulēti præda, magna diſcordia orta eſt, & germanis, hiſpani & galli hoſtes erant, qui etiam aliquando fruſtra tamen repugnātibus germanis Vincentiā & Veronam diripere obnixi ſunt, et propterea copiæ hoſtium in partes fiebant, & germani Vincentiæ Veronæq; ſubſidio ſtabant, atq; galli hiſpani & milites Italiæ Lēniacū oppidū oppugnatū ibant. Igitur oppidani arma expedire, bellū parare, undiq; aggeres & munimēta conſtruere. Et quidē frequentibus ſciſſuris Atheſi flumine circūcirca amplius palus obducta eſt, & uis ingens aquarū, & Iacobinus nouellus cum ducentis peditibus per occulta itinera Lemniacū ſubſidio ſtatim uenit. Quæ cum primū hoſtibus relata ſunt, quia oppidum armis uiriſq; bene munitum uident, & tēpus hyemis, re intentata hoſtes galli etiam Veronam uenerunt, & diſtulerūt rem omnem in tempus aliud. Interea uero Venetorū omnis exercitus rurſus accerſcitis fidiſſimis agricolis in expeditionem exiuit, & Vincentiā oppugnare profectus eſt, & quia Veneti populū res nouas moliturū ſperabant, ſtatim iubēt leuites ad portas ciuitatis anteuenire, & deditionē tētare. Sed cum id parum procederet, totis caſtris itū & ceptū eſt acriter mœnia tormentis militiæ cōcutere, demū aperto aditu pedites immiſſi ſunt, qui urbem ingredi ſumma ope nitebātur. Contra Cæſariani milites ad ſeptem millia hominū acriter obſiſtere, & hoſtē repellere, feſtinare, parare, facere, & ferro de-

cernere. Igitur utrinq; nihil prætermittebatur quod uſui foret, quiſq; magis quàm in alio, in ſe ſpem ſitã habere, pariterq; agere & pugnare omnibus locis, & auidius parare alter alterum hoſtem ferire, quàm ſemet tegere. Clamor permixtus exhortatione lætitia & genitu, itidem ſtrepitus armorũ ad cælum ferri, telaq; utrinq; uolare, deniq; Veneti & Dionyſius naldius præfectus peditum magis magiſq; obnixi ceperunt Puſterlæ ſuburbiũ, & deinde quia nox erat cecinerunt receptui. Et quidem difficilis factu ea uiſa res eſt, niſi ex inſperato Vincentini oratores intempeſta nocte ad Venetos legatos in caſtra ueniant, & ultro deditionẽ faciant. Itaq; Cæſariani milites impune dimiſſi ſunt, & Vincentia in fidem recepta eſt, præſertim opera Seuerinatis Fracaſſii, qui Dux hoſtiũ intus erat, et eam rem ſumma ope curauerat. Quod ſi eo rerum ſucceſſu & tanta agreſtiũ & populorum omniũ uocatione Veneti milites opportune uſi eſſent, & protinus Veronã itum foret, proculdubio aſpirans fortuna rurſus in ſolidum rem Venetam collocaſſet. Vſq; adeo ſemper uſuuenit feſtinare, & in re militari potiſſimum celeritate opus eſt, & occaſione uti, ut nunquàm proſit differre, cum rerum bene gerendarum omnia parata ſint. Aliter dum tempus fruſtra conteritur protelando ſtipendiũ militibus dare, & cauendo ne milites urbem diripiant, iterum e manibus quæ ſe obtulerat fortuna inconſtans ellapſa eſt. Nãq; cum Regi romanorũ captã Vincẽtiã nunciatũ fuiſſet,

ipſe primoquoq; tempore tridentũ uenit bellum pa-rare, copias colligere, & gallos in auxiliũ Veronam accerſcere, ut cum primũ Venetorũ omnis exercitus cum manu collectitia citra amnẽ Atheſim in eã ex-peditionẽ exiret, & ultra fluuium Carolus marinus præfectus Lemniaci cum quingentis equitibus leuis armaturæ, ſeptingẽtis peditibus, & quattuor millibus agreſtiũ, hoſtes facta repente eruptione auſi ſint ma-num conſerere cũ Venetis leuitibus, qui utrinq; Ve-netorum, exercitum, & ad portam Maximi, & ad portam Epiſcopi anteuenerãt. Certatũq; eſt utrobiq; uario euentu quouſq; nox anceps prælium diremit. Ea re legati ualde cõmoti ſunt & Imperator exer-citus, & quoniam Veronenſium qui in caſtris erant exploratores non reuertebantur, neq; uidebatur po-pulus res nouas moliri, re infecta ſtatim inde Veneta caſtra mota ſunt, ne aliquod detrimẽtũ reſpublica pa-teretur. Interea uero hoſtes germani qui Vincentia capta impune dimiſſi fuerant, totam regionẽ prædа-bantur, & igni ferroq; cuncta miſerabiliter uaſtabãt, & in dies magis magiſq; illa illuuies ſerpebat, niſi forte aliquando cum hoſtes illi ad duo milia hominũ incautius ex Baſſiano Ciuitatulam prædatum irent, Alexander bigolinus cum quadringentis leuitibus, et manu agreſtiũ in ualle fidata illos protinus intreclu-dat. Nãq; deinde atrox præliũ conſertum eſt, Vene-torum iaculatores agricolæ & ſcorpionarii equites ubiq; hoſtibus infeſti erant. Cõtra hoſtes ſumma ope

nitebantur euadere, & inter uineta ſemper ſub ordinibus ſtabant, & quingenti pedites tormentarii ictu alio ſuper alium Venetos ſemouebant, donec hoſtibus ex Baſſidno ſubſidium uenit, & illi multi ſaucii, nõnulli contriti tormentis militiæ, omnes ualde trepidi in oppidũ cecinerunt receptui, & illud reliquerunt Venetis incuſtoditũ propediem. Aloyſius Mocenicus autem legatus Taruiſii identidem profectus eſt Ciuitatẽ Bellũni Feltrum & arcem ſcalanã recipere. Sicut enim ex Baſſiano ad Caſtellũ Scalanũ uia difficilis eſt. Sic ex Ciuitate & Feltro oppido expeditio facilis futura uidebatur. Accedebãt rei agendæ agricolæ montani exerciti, qui facile poſſint uineas, tormenta et inſtrumenta militiæ, per patulũ iter deferre. Datum tamen ſimul negociũ eſt Alexãdro bigolino & aliis, qui apud Baſſianum erant, ut eodem tempore quo iſti oppidũ aggrederentur, illi parte altera hoſtibus obuiam irent, & ſemper ſubſidio eſſent. Igitur cõpoſitis rebus omnibus ex ſentẽtia cum quadringentis peditibus, & uillicorũ duobus millibus, ex Tauriſio Ciuitatem & Feltrũ itum eſt, quibus oppidis in fidem deditione receptis, contra arcem ſcalanam protinus ibatur. Arx autẽ undiq; præceps eſt ſupra montem ſita peruia tantum duobus montanis itineribus, et alio plano itinere ad Primolanũ, qua ad caſtellum per ſubiectã planiciẽ itur, hæc itinera primo quoq; tempore Venetus obſidet, ne quiſq; hoſtiũ auxilio eſſe poſſit, deĩde ceptum eſt oppidum tormẽ

tis militiæ concutere. Cõtra hoſtes quinquaginta deleƈti pedites omnibus modis acriter obſiſtebãt ſimul iurati fidem ſeruare, & potius mortem pati, q̃ deditionem facere. Nãq; tormentis militiæ, miſſilibus telis, & rebus omnibus quæ uſui eſſent apprime munita Arx erat, & uidebantur duo millia germanorũ peditum ad locum Grigni ſubſidio fore, niſi uitabũdi Veneti oſtendant ad Primolanum ſe audaƈter ituros obuiam. Verũ nõnulli agricolæ primo armorũ ſtrepitu territi ſunt, & poſt ſentes & ſpineta latebras quærebant, quod cum Mocenicus animaduerteret, eis ſe medium geſſit dicens ſe illuc ueniſſe eorũ gratia, eos e tanta ſeruitute eripere, & ulciſci necem parentum & filiorum, pariterq; uelle in bello ſimul ut ipſi ſunt inermen eſſe, & pedibus ire, deniq; cum eis cõmunem fortunã habere, ſi modo uelint ſecũ loco conſiſtere, ſin aliter ſcitabatur ſententiam dicere quid faƈturi ſint, quandoquidẽ magis q̃ in militibus in eis ſpem ſitam haberet. Sic ille locutus eſt, & uiciſſim agricolæ collachrymati & polliciti ſunt, ſe Mocenici thoracẽ fore, & uelle propriis peƈtoribus eum ſeruare, quo auƈtore priſtinã ſalutem propediem poſſent recipere, & deinde illi libenter iuerunt ad Primolanũ iuſſi locum capeſcere. Cæterum ab opere ceſſatum eſt & ſtatum ſub dio frigido niuoſo, quia maſſæ ferreæ defecerant, & muri nondũ ſatis prociderant, ut Venetis ſpes omnis demeretur, niſi forte uillico monſtrante locum ſub terra pilas idoneas inueniſſent.

ueniſſent. Itaq; ſummo mane tormentis militiæ fre-quentius agebatur. Parietes paſſim diſiecti ſunt, & conſertum atrox prælium. Veneti freti multitudine ad uictoriam animoſius tendunt. Hoſtes quia nullam ſpem ſalutis habent, acrius in mortem ruunt. Denią́ Alexander græcus uexillum Marci primus audacter in arcem ınlit, & deinde cuneo repente facto cætera multitudo paſſim ſecuta eſt, uictią́ hoſtes exceptis Ducibus omnes ad unũ cæſi ſunt, & arce capta om-nia prædæ militibus fiunt. Nihilominus ceſſit ex ſen-tẽtia apud Caſtrũnouum foriiulii. Nãą́ nuper Anto-nius & Hieronymus Sauorgnanus cum duobus mil-libus hominũ in eam expeditionem exierant, & ꝙuis armis uiriſq; Caſtellum bene munitum eſſet, ꝙ ultra Tiliauentum fluuium in medio foriiulii ſupra præ-ruptum montem erigitur, ſolum tamen tormẽtis mi-litiæ geſta res eſt, quia oppidani ducenti pedites cum mercenario milite, qui præſidio ſtabant, maiorẽ uim expectare auſi non ſunt, & deditione ſtatim facta in Venetorum poteſtatem caſtellum uenit. Deinde Ve-neti milites ad prædã digreſſi ſunt, atą́ hoſtes idẽ-tidem, et dum utriq; uim hoſtium uolunt cõprimere ſæpe uario euentu pugnabatur, & amplius uiciſſim igni ferroą́ ſæuiter agebatur, ſimul ac hoſtibus non ſufficeret prædas agere. Sed tantũmodo leuia certa-mina fiebãt, quia ãlioquin facere hyems horrida ue-tabat. Aliter parte alia quoniã Dux Ferrariæ Rho-digianam polleſinũ ceperat, & amplius terra marią́

infeſtus erat, contra Veneti uolebant ulciſci illatam iniuriam, & primo quoq; tempore contra Ferrariã ibatur. Nãq; Angelus triuiſanus quem penes erat claſſis imperium aduerſo pado per hoſtium fluminis, quod Fornaces accolæ appellãt, cum ſexdecim triremibus, galeonibus, lembis, gãzariolis, & aliis diuerſi generis nauigiis, totum ſolum Ferrariæ prædatum ibat. Statis locis aquas in hoſtes abſcindere, & omnia igni ferroq; ſubuertere, tantumq; terrorem omnibus iniicere, ut omnes præcipiti fuga cum liberis & coniugibus Ferrariã abirent, ubi ſe tutos fore arbitrabantur. Ventũ erat ita prædando & uaſtando omnia uſq; Lacum Obſcurum oppidum, & idẽtidem equites leuis armaturæ prædas egerant uſq; oppidũ Ficarolium, ubi Padus amnis ex Veſſuli montis gremio dilapſus in duas partes ſcinditur, & inde amplexus aliquantũ agri biceps confluit in mare, ſimul ac Ferrariæ polleſinũ fecit. Et ecce quidam explorator ſtatim uenit Venetos certiores facere, hoſtẽ illis obuiam uenire, atq; iccirco receſſum eſt, & deinde apud Piloſellam ſtabatur, & propugnaculũ fiebat, ut claſſis ſemper eum obicem haberet, ſi aliqua uis hoſtium repente ingruat. Parte alia quia padana claſſis terreſtriũ copiarum auxilio egebat, omnis exercitus Montagnanã urbem uenit, & iniecto leui certamine deditione recepta eſt, Ferrarienſes præfecti captiui uenerunt in caſtra Veneta, & alii ſeptingenti milites inermes dimiſſi ſunt. Atq; amplius uicina oppida

& omnis Rhodigii peninſula ultro in Venetorũ poteſtatem uenit, ut Veneti ſuo contenti merito & tutius eſſe poſſent, quã ulterius progredi cum damno & ignominia reipublicæ. Adeo facile claſſi periculũ ingens imminebat, ſiue aquarũ frequenti abſciſſione depauperato flumine carinis in uado ſtatio non tuta ſit, ſiue ferrarienſes hoſtes præualeãt impetuoſis tormentis militiæ, & gallorum auxiliaribus copiis, ut obſeſſis itineribus aut Venetis non integrum eſſet, dum uellent in pacatum abire, aut neceſſitate cogãtur id facere, quod uoluntate rectius agant, & receptis oppidis contenti ſint. Aliter illi fortunæ illecebris allecti ſunt, quæ ut ſæpe ſolet primo facilis eſt, et poſtremo duriuſcula uideri ſolet. Igitur Veneti rati ſunt e republica uſq; Ficaroliũ totam claſſem ſubuehere & hoſtibus infeſtam eſſe, atq; inde ad Piloſellã redire. Quod ſi omnes itidem terreſtres copiæ eandem rem agant, facile etiam proſpera omnia cedãt. Sed adeo maiores copiæ gallorum germanorũq; Veronã uenerãt, ut liquido pateret illis paulopoſt prædæ omnia fore, niſi pars maior exercitus uerſus Suauium ſtatim eat, & propterea dũ Veneti rei utriq; conſultum uolunt, eo modo quo fieri potuit, datũ negocium eſt Ioanni Paulo gradonico cum quadringẽtis ſolũmodo leuitibus, & quingentis peditibus claſſi, & Rhodigianæ polleſino ſemp ſubſidio fore. Andreas autem Grittus cum reliquo equitatu leuiũ Suauium oppidũ profectus eſt, & Imparor exercitus cũ Petro

marcello & omnibus copiis Montagnanã & Coloniã uenit, atq; inde Suauiũ, ubi illud præſertim curabatur, ne dum ipſis hoſtibus infeſti ſunt, illis ut ferebatur eruptione facta, rerum bene gerendarũ facultas eſſet, & propterea Veneti primo quoq; tempore locum caſtris aggeribus & foſſa apprime munire, colles paſſim conectari, propugnacula ſtatis locis conſtruere, ut ſi opus eſſet pauci multis poſſet obſiſtere. Foſſa diducta eſt a Suauio oppido uſq; ad amnem Atheſim. & paſſim obducta palus quantũ fieri potuit leuigataq; itinera a Suauiano colle ad campeſtrẽ planiciem, qua ex Leonico oppido ad montem forte itur ſimulq; Suauiũ & Leonicũ muro promurali & foſſa, aquarum & itinerũ abſciſſione quantum fieri potuit tumultuario opere, ambo oppida munita ſunt. Dũ ea uero apud Suauium fiunt, in urbe Verona multarũ nationũ multæ contentiones ortæ ſunt, ut germani, hiſpanis & gallis non ſatis fiderent. Accedebat rem ferrarienſem maxime periclitari, niſi cõſocia arma auxilio iungerẽtur, eamq; ob rem eo profecti ſunt galli & milites Italiæ, qui ſæpe antea minabantur aduerſus Venetos in expeditionẽ exire, & deinde belli uis maior apud Ferrariã incubuit. Stabat Veneta claſſis iuxta Piloſellam fluuiũ, & ut diximus pro antemurali Caſtellum habebat, & haud longe ſuper triremes temere pontem fecerant, ut Ioannes Paulus gradonicus modo hinc pergat, modo inde equitatũ leuis armaturæ traiiciat, cũcta circũſpectare, Arcẽ Gui-

lielmiã & Turrim Donatiam præſidio munire, Caſtellũ Venetiũ demoliri, & demũ omnia facere, quæ hoſtibus terrorem, & Venetis audaciam merito augere uiderentur. Parte alia Marcus antonius contarenus cum claſſe padana & minoribus nauigiis Comaclum oppidum ſtatim uenit, & paruo diſcrimine illud cæpit & diripuit. Nãq; hoſtes ut primũ uident claſſẽ Venetã in eam expeditionẽ feſtinare ex Padi hoſtio cui Vollanæ nomen eſt, quãuis locus ſitus intra lutoſas paludes & armis uiriſq; bene munitus eſſet, omnes tamen illico in fugam conuerſi ſunt. Et quidem oppidanis facile impune ceſſit, quia cymbas parauerant, ſed quadringenti quinquaginta pedites, dum pedibus conãtur in continẽtem euadere, multi lutoſis itineribus & fluminum uorticibus abſumpti ſunt. Itaq; facile oppidũ captum eſt, & omnia prædæ militibus fuere, quæ magna fuit tritici, ſalis, & piſciũ & omnis Venetias delata eſt. Interea uero Ferrarienſes hoſtes magis aucti manu collectitia Gallicis Pontificiiſq; auxiliaribus copiis ſæpe Venetis obuiã ire, & manum acriter cõferere, deniq; caſtellum ſumma ope oppugnare obnixi ſunt, munimenta ſuperare, & Venetos opprimere. Contra Veneti pro uiribus ſtare Caſtellum & ſeipſos tueri, hoſtemq; longe repellere. Igitur utrinq; acriter agebatur, & marte ancipiti certatum eſt toto die duodecimo calendas Ianuarii uſq; quo nox atrox prælium diremit. Et quidẽ in eo prælio plures ceciderunt de hoſtibus, quãuis illi ad

decẽ millia hominũ eſſent. Nocte uero media interciſis aggeribus hoſtes tormẽta militiæ contra claſſem Venetam affigunt, atq; inde in eam acriter agebant, ſi poſſent ſummergere & diſiicere. Ea re nautæ ualde cõterriti ſunt, & ignari quid agãt, pauci ſibi cõſtare, arma capere, & conari ſi ſaltem poſſent, cum tribus triremibus in pacatum abire. Nãq; reliquæ triremes ſtatim aliquæ tormentis militiæ ſummerſæ ſunt, & aliæ omnes in hoſtium poteſtatẽ uenerant. Siquidem tantiſper dum omnium in ſola fuga ſita ſpes eſſet, alii tormentis bellicis, alii fluminis uorticibus abſumpti ſunt, plerićq; tamen incontinentem fugerunt, ubi noſtri exercitus pars erat, quæ illis auxilio fuit, quouſq; in pacatũ abirent. Itaq; hoſtes Veneta claſſe, & deinde caſtello deditione potiti ſunt, & amplius trecẽti equites ſuper ripas fluminis, & ſecundo flumine cum claſſe quingenti pedites contra Laureti locum uenerũt ceperunt combuſeruntq; illũ incuſtoditũ, quia protinus omnes inde aufugerant, & de claſſe padana idẽtidem agebatur, niſi ſtatim illa etiã receſſiſſet ad Bebias. Veneti uero milites paulatim uenerunt Abbatiã oppidum, quod ſi tueri poſſint in tanto ſucceſſu hoſtium, facile uidebatur totam Rhodigianã polleſinũ tutam fore, & ideo omnes copiæ inibi collectæ ſunt, & pontem fecerunt inter Turrim Mediam & Turrim Marchioniã, ut citro ultroq; cõmeandi ſemper facultas eſſet. Aquæ pariter abſciſſæ ſũt, ut diducta paſſim palude omnia

multo tutiora redderentur, & demũ adhibitis operibus omnia curata, ne hoſtes Rhodigianũ polleſinũ ingredi poſſent, quod alioquin Veneto exercitui, & ſolo Patauii periculoſum foret. Patres autem certiores facti de his quæ geſta fuerant, ſtatim conuerſi ad rempublicam claſſem reficere, triremes decem, quæ Iſtriæ erãt accerſcere, nouũ Imperatorem claſſis deligere, terreſtribus copiis ſupplementum mittere, & demum omnia facere, quæcũq; uſui forent, ne hoſtis amplius impune poſſet procedere. Tantum uero abfuit hoſtem progredi, ut in caſtris hoſtium potius ueluti in ciuitatibus factioſi ſolent, milites Italiæ aduerſus gallos pugnarent. Certatumq; eſt ac ſi hoſtes eſſent, & plusq̃ trecenti deſiderati ſunt. Accedebat brumale tempus rebus agendis incongruum, niuoſi colles & frigore cõgelata lutoſaq; itinera, quãuis iſto bello nunq̃ hyematum iretur, ut ſicut pares erant animi Regum aduerſus Venetos, ita paria eſſent bellandi tempora. Sed diſpar erat fortuna, quæ hyeme rebus Venetis aſpirare uidebatur, ſimul ac æſtate aduerſa fuerat. Id quod plusq̃ ſemel cum eſſet comprobatum experientia, pecuniis parcendo & ſtando, conſultum foret reipublicæ lõge melius, q̃ ſæpe fruſtra periclitando operam & impenſam perdere. Aliter uicit multitudo inſcipiens quãuis pauci boni frequenter hortati ſint, ſaluis opibus ſolũmodo Patauium & Taruiſium ſeruare. Sicut ſemper par eſt illos hoſtem nõ laceſcere, qui propulſandæ iniuriæ uix apti

ſunt. Cæterũ ne dum Ferrariæ milites hoſtiũ inuicẽ pugnabant, ſed etiam Veronæ idem frequenter fiebat, ſimulq; omnes milites omnibus modis populo infeſti erant, modo hanc, modo illam domũ oppugnando, diripiendo, inferendo uim mulieribus pueris & innuptis puellis, ut cum forte hoſtis adeſſe diceretur, & ad arma acclamatum eſſet, quem quiſq; magis timeret, hoſtem ne an ſocium aut popularẽ, apud quemq; in incerto res erat, & ideo Veneti in ſpem urbis potiundæ iterum ducti ſunt. Sed eam rem lentius q̃ par erat curabant, tum quia nuper apud Patauium Imperator exercitus perierat, cuius bene actæ uitæ & rebus geſtis merito lõga memoria ſupererit, tum quia Aloyſius Mocenicus & Ioannes Cornelius Veneti oratores cum Cæſarianis oratoribus de pace apud hoſpitiolum agebant, ubi diu quidem actum eſt, & quãuis amplæ cõditiones pacis proponerentur, Cæſariani oratores tamen omnia aſpernati ſunt, & tandem re infecta repedarunt in germaniam, atq; ideo poſtea Rex Angliæ eius rei auctor quærebatur, & Achilles craſſis orator Pontificis apud Maximilianum Regem id maxime curabat. Nãq; iam oratores Veneti Dominicus Triuiſanus, Leonardus Mocenicus Pater meus, Aloyſius Malipetro, Paulus Capellus, & Hieronymus Donatus, qui continuos ſex menſes eam rem apud Iulium Pontificem agebant, tandem eo modo quo fieri ſolet cenſuris eccleſiæ expiati ſunt, & deinde ceptũ erat

inuicem de bello & pace conſulere, & mutuo fre-
quenter agere. Itumq́ʒ inficias eſt germanis hiſpanis
& gallis oratoribus, Pontificem amplius Camera-
cenſi fœdere teneri, aut quicquam auxilii laturum
uenienti in Italiam Regi gallorum & romanorum.
Siquidem aliquando Cæſar habuerat, quicquid ei
ex Cameracenſi fœdere debebatur, & Rex galloru͂
noti cōpos iam antea, non ſine ſuſpitione amplius af-
fectati imperii rurſus in Italiam uenit. Se poſthac
Pontifex aiebat aduerſus Venetos cum eis nihil ha-
biturum commune, & Chriſtianorum non belli, ſed
pacis autorem fore. Contra tamen Rex gallorum pro
expeditione Italiæ auri pondo multa millia ingẽteſq;
copias parabat, & ne ſuum opus uſquam Rex Angliæ
moraretur, nitebatur conſultores eius pecuniis cor-
rumpere, & res omnes componere, ſimulq́ʒ heluetios
in ſuas partes ſeducere. Igitur Pontifex cum Rege
angliæ frequenter agebat, & conabatur quãto ma-
xime poſſet a gallis auertere, necnon auctore Epiſco-
po Sedunenſi in multos annos heluetios mercenarios
habere, & quod plurimum intererat præſertim cu-
rabat, cum maximiliano Rege Venetos conciliare
auctore Margareta filia Cæſaris burgundicola &
Matheo Lancher Gurgenſe epiſcopo. Verum ſupra
omnia conſultabatur, quonam pacto libertati totius
Italiæ maximum imminens periculu͂ uitaretur, mo-
do ueniebat in mentem totam Italiam unire, modo
cum Rege hiſpaniæ & angliæ Pontificem Venetos

& heluetios in nouum fœdus cohire. Nihilominus Dux in caſtris Venetorum Ioannes Paulus balionus quæſitus eſt, & Laurentius Cerinas, qui peditibus præſit. Nāq; exercitui non minus q̄ parandæ claſſi enixe ſtudebatur, ut Venetorum in caſtris eſſent mille quadringenti milites, quattuor millia leuitum, & decem millia peditum, conſtaretq; claſſis ingenti numero nauigiorum nauiumq; & quadraginta triremium, quæ cuncta Pontfici ſemper uſui fore Hieronymus Donatus orator Venetus aiebat, & rogabat Pontificem operam dare, ne Rex romanorum Venetis hoſtis eſſet, ſimul ac ad eam rem Principes etiam germaniæ allecti ſunt, & tandem Auguſtenſi conuētu cautum eſt, ne de bello prius ageretur, q̄ de pace cum Venetis oratoribus agatur. Sed tantum abfuit quod Cæſar ægre ferens rem omnem infectam reddidit, & minabundus propterea Oratorem Pontificis expulit. Ille uero inde in Pannoniam profectus eſt, & identidem rem Venetam fouit, ſimul cum Petro Paſcalico oratore Veneto apud Regem pannoniæ ut facile res omnes tutæ eſſent, niſi Helianus orator nomine Regis gallorum & romanorum in pannoniam ueniſſet rem omnem ſubuertere. Nāq; ille Regi hungariæ pollicebatur annua cētum millia nummum claßem paratiſſimam, et connubia Ducis Burgundiæ, & ſororis eius, cum Ludouico, & Anna filiis Regis hungariæ, ſi Rex contra Venetos bellum ſumat. Sin aliter aiebat fore, ut Reges Dalmatiam

capiant & tradant Regi angliæ, ad quem ea ſpectare uideretur. Igitur Pannones ualde commoti ſunt, & quia res magni momenti uidebatur Heliano & Petro Paſcalico ſtatuta dies & locus eſt, ubi quiſq; pro contione loqueretur, atq; primo Helianus ſic orſus eſt. SI QVISQVAM unquam confidenter locutus eſt, ego nunc debeo id maxime facere. Nãq; de bello ſuſcipiendo apud bellaciſſimas nationes dicturus ſum. Neq; de ueſtra utilitate difficultas oritur, quã ſuadere oẽs ſolent, qui de rebus dubiis loquũtur, Patet enim Dalmatiam ueſtram fore quæ trecentas inſulas, quatuordecim magnas urbes, & duas prouincias habet. Siquidem modo uenimus ad eam recuperandam claſſem & pecunias offerre, quæ poſſint ſufficere. Et quidem antea. P. OP. romanorum & gallorum Reges hortati ſunt, ut uelletis ueſtram Dalmatiam recipere. Sed ſtabat adhuc claſſis Veneta, & uos claſſe, & pecuniis egebatis. Nunc uero apud Ferrariam triremes Venetorum captæ ſunt, & uos claſſem & pecunias habetis, ut ſi uultis facile poſſitis, Dalmatiam ueſtram recipere aut perdere, quia ſi uos in re tam ueſtra negligẽtes eſtis, Reges Dalmatiam capient, & tradent Regi Angliæ. Quod ſi belli iuſtæ cauſæ quærãtur, illæ Regis gallorum ſunt, quod Veneti ex municipiis Regis romanorũ nullam partem dedere, quæ ex fœdere debebatur, & ſe inuito fecerũt inducias. Vos uero ſemper iure poteſtis ueſtra repetere, & nunc maxime

tempus eſt, dum omnia parata ſunt, & Reges uiciſſim agunt, donec capiant ipſas Venetias. Et quidem id facere omnes Reges ſumma ope eniti decet, quando Veneti Reges ſpernunt, & quod turpe etiam eſt, ſæpe gloriari ſolent, ueſtrum Regem mercenarium habere. Quod ſi bene recolamus etiam præterita, & quemadmodum incuria Venetorum Conſtantinopolis capta eſt, merito Veneti & Turcæ duo dracones eccleſiæ appellandi ſunt, quorum oportet qui intus prius perimere, & poſtea qui foris habitat, ſi uelimus rem Chriſtianam tueri & protegere. Vos ergo has amplas conditiones accipite, atq; eo maxime confidite in Regibus, quia ueſtri conſanguinei ſunt, & in Venetos bellum libenter ſumite ſicut uos decet facere, ſi parati eſtis rem ueſtram agere. Contra Petrus Paſcalicus ita locutus eſt. COGITANTI MIHI. P. OP. tantam eſſe ſatis ſpectatam fidem ueſtram erga noſtram rempublicam, ut uobis ſemper obnoxii futuri ſimus, non dubito de fide ſeruanda apud uos loqui, & illud impetrare quod maxime cupio, atq; eo præſertim, quod modo in quæſtionem uenit, cui fides potius habenda ſit, an Venetis qui ſemper fidiſſimi reperti ſunt, an iſtis Regibus, qui ſolent fide poſthabita, ſine iuſta cauſa bellum gerere. Et de nobis quidem exemplum ſumi poteſt, qui ſemper erga reges omni officio uſi ſumus, & tamen illi nos uexant bello ſæuiſſimo ſola imperandi libidine, qua etiam cæteris omnibus nationibus ho-

ſtes ſunt. Vos ſoli. P. OP. in tanto rerum turbine fidem erga rempublicam inuiolatam ſeruaſtis, & nunquam hoſtium quantum uis magnis pollicitis uicti eſtis. Neq; illi profecto quæ pollicentur facturi ſunt, ſed faciunt, ut gallorum mos eſt, unum dicere, & aliud facere. Ecquid poteſtis germanis credere? quibus cum ſemper geſſiſtis inimicitias. Ecquid gallis & hiſpanis fides potius habenda eſt? quibus cum nihil unquam commune habuiſtis, quod ſi inde auxilium expectetis, antequã ueniat, de ueſtro imperio actum ſit. Nos uero Veneti uobis optimi finitimi cõmutandi non ſumus, ſed oportet potius certare officiis, ſicut & ſemper fecimus. Pax & bellum commune cum turcis eſt, & ſemper noſtra omnia uobis uſui ſunt. Quod ſi noſtris rebus omnibus utimini, ac ſi ueſtræ res eſſent, quid opus eſt Dalmatiam quærere, quam cuſtodimus & ſeruamus maximis ſumptibus tanquam promurale Pannoniæ. Neq; enim unquam uobiſcum deſiimus in turcas agere, atq; hoc bellum commune etiam putare debetis, quia ſi de nobis actũ ſit, quæ ſpes uobis contra Turcas ſupererit. Igitur ſeruate quæſo ueſtram fidem erga rempublicam, & nolite audire iſtos mendaces & maliuolos. Seruate fœdus indiſſolubile, & putate ſicut res eſt, nõ niſi ſaluis rebus Venetis, res ueſtras omnes ſaluas fore. Poſtquam uero dicendi factus eſt finis Pannones conuentum thatenſem habuerunt, decreueruntq; niſi Veneti ultro Dalmatiam reſtituant, quatuor millia

peditum & duo millia equitum in eam expeditio-nem mittere, quaſi ſua eſſet Dalmatia, quam Veneti emerunt ſub Rege Latiſlao cētum millibus numum, & illi ſemper antea iure eam tenere uiſi ſunt. Sed deinde Regi Pannoniæ defuerunt pecuniæ, & propterea nihil in Venetos agebatur. Aliter parte alia bellum uigebat, et Veneti caſtrametati ad Bonifaciū pene Veronam obſidebant, & quottidie equites pileati haſtati currebant uſq; ad portas ciuitatis prædando, inuadendo, intercipiendo, & ſæpe committendo leuia certamina. Haud longe ab urbe locus eſt, quem accolæ Martinum appellant, quouſq; hoſtes ſolebant ſæpe confidenter accedere, & ideo Veneti nuper ea occaſione uſi ſunt, datumq; negocium eſt Dominico buſichio cum ſuis græcis equitibus illuc ſtatim ire & uidere, ſi poſſit incautos hoſtes intercipere. Vix ille confinia attigerat, & ecce uidet alā hoſtium, & uiginti milites anteuenire. Contra Veneti leuites ſtatim hoſtem acriter adorti ſunt, & fœliciter geſta res eſt. Nāq; in fuga hoſtium alii cæſi ſunt, & dux eorum Cletenſis Dominus captiuus cum aliis in Venetorum poteſtatem uenit. Igitur timor hoſtibus, audacia Venetis creſcebat, augebantur etiam Veronæ multæ hoſtium diſcordiæ, & copiæ quottidie minuebantur, quia ſtipendium principes ſoluendo non eſſent, & qui ſine ſtipendio morabantur, frequenter nundinas eſculenta & poculenta paſſim diripiebant, unde Veronēſes deſperatione ducti,

res nouas moliebantur, & nuper aliqui in caſtra Veneta uenerunt, & portam Georgii noctu tradere polliciti ſunt. Veneti uero nihil temere aggrediendum rati, prius parauerunt omnia utilia, deinde quibus commēdanda res erat, delectos ex omni numero quinquaginta pedites ire iubent, & locum animaduertere, penſare foſſas, muros, propugnacula, munimenta, cuſtodias, quæ & quomodo noctu et interdiu fiebant, diuerſas ſcalas operi idoneas breues, oblongas, funeas, ligneas conficere, ſerarum formulas habere, & ad aperiendum uaria ferramenta conſtruere. Deniq; omnibus paratis ex ſententia datum negocium eſt, Ioanni Paulo Gradonico legato apud Rhodigianam polleſinum, ultra amnem Atheſim cum quingentis leuitibus in eam expeditionem exire. Igitur cum adueſperaſceret uerſus Veronam ibatur, ut in campeſtri planicie omnis exercitus eſſet, quarta hora noctis, qua putabatur, opus conſtitutum præmiſſos pedites peregiſſe. Iam uero pedites qui ad rem agendam anteuenerant, prima mœnia ingreſſi portas rumpunt, ſcalas admouent, turrim aſcendunt, pontem demittunt, mœnia intrant ſubſidii, & dirutis ſimiliter foribus Petri Caſtello proximi fiunt, cuius mœnia extremum opus erat aſcendere, ut nemine ſentiente, aut qui intus eſſet, aut qui foris in ſuburbiis moraretur, reliqua iam factu omnia facilia uiderentur. Sed præter ſpem euenit, quia ſcalæ breuiores erant, quam operi poſ-

ſent ſufficere, atq; eas dum iungunt imminens periculum in mentem uenit. Deinde ceptum eſt tantopere timere, ut quãuis nihil eſſet, Veneti audire uiderentur hoſtes clamare ad arma, & protinus accurrere. Sic quoq; unus & alter confeſtim nunciatum uenit, & demiq; omnes conterriti in fugam turpiter conuerſi ſunt, atq; inde cum toto exercitu ad Bonifacium iterum receſſum eſt. Hoſtes autem certiores facti de his omnibus, quæ geſta fuerant, primo quoq; tempore alios occidunt, alios ſauciant, & duos uiuos fruſtratim cædunt, qui forenſem turrim cuſtodibant, & falſo rei conſcii putabantur. Deinde uitabundi periculum urbem muniunt, itinera incidunt, obices paſſim apponunt, nouum erigunt propugnaculum in loco paradiſiaco prope portam Epiſcopi, & foſſam ducunt, ut illac tuitioni pergat e montorienſi fonte diductus riuulus, & ne propterea timere uiderentur, equites leuis armaturæ ſæpe Venetis obuiam exibant, & leuia certamina committebant. Nuper uero ſicut antea minabantur, hoſtium omnes copiæ hominum octonum millium Veronam urbem egreſſæ ſunt, & prope Venetos caſtrametari uelle uidebantur. Quod cum Venetis nunciaretur, protinus ad arma conclamatum eſt, & dum cataphratti milites & pedites ſe in expeditionem accinzunt, ſtatim obuiam hoſtibus præmiſſi leuites ibant, ut equites pileati haſtati iuxta amnem Athеſim dextrorſum uadant, & ſiniſtrorſum, ſcorpionarii

pionarii equites per montis decliuia. Vix Veneti obuiam hoſtibus facti ſunt, & eos a lateribus utrinq; inuadunt, & ſi qui hoſtium ab ordinibus diſcedunt facile intercipiunt, aut ſauciant, aut necant. Igitur hoſtes maiorem uim non expectandum rati, protinus receptui canunt, & deinde omnis exercitus iterum Veronam uenit, quoniam alioquin Venetorum leuites nimium eis ubiq; infeſti erant, frequenter inuadendo, & intercipiendo eos hoſtium, qui paſſim pabulatum, & palantes ibant. Verum etiam Veronæ maiores anguſtiæ hoſtium uigebant, quia omnes milites populo & ciuibus infenſi erant, modo paſſim prædando, modo noua uectigalia imponendo, & omnibus modis urbem expilando, ſi poſſint dandis ſtipendiis aliquo pacto ſufficere. Nuper quoq; hiſpani & galli contraibant militibus Italiæ, & Ducem eorum Ioannem Gonzagam Mantuanum falſo commentæ coniurationis inſimulabant, & concito tumultu uoluerunt eum apprehēdere, ſimulq; pedites germani quibus non dabantur debita ſtipendia, cuneo repente facto conabantur abire, & bonis uerbis dehortantem Ducem analtium armis aggreſſuri, & abituri impune uidebantur, niſi cum eis clauſis foribus, potius ꝙ̃ uerbis ageretur, & ſic quoq; furtim quottidie germani pedites aliqui & aliquando pluſculi in caſtra Venetorum confluebant, & nauiter militaturi pro Venetis gratanter excipiebantur, tum quia ſimul hoſtium copiæ minuerentur, & uires

Venetorum augerentur, tum quia id non ab re Veneti putabant hiſpanis & gallis ſuſpitioſum & diſſidioſum fore.

ANDREAE MOCENICI .P.V.D.
LIBER TERTIVS HISTORIAE.

DVM HAEC A VENETIS geruntur copias enixe augendo, & parando cuncta utilia, ut ſæpe fieri ſolet, in ſuſpitionem cõuerſa res eſt, & nocuit feciſſe plus ſolito. Siquidẽ Reges contra belli iſtos apparatus rati ſunt, maioribus uiribus agendum, & auxiliandum Cæſari quãto maxime poſſent. Igitur ultra id ꝙ in dies magis magiſq; pedites ex germania coibant, ex hiſpania quadringenti milites expectabantur, & gallorum mille quingenti milites, atq; duo de uiginti millia peditũ. Pari modo Dux Ferrariæ arma expedire, bellũ parare, annonam, currus, nauiculas, lignamina, ferramenta, machinas, munimenta, equos, iumẽta, uaſtatores uicatim indicere. Videbãturq; hoſtes galli partitis copiis cum Maximiliano Rege, & Duce Ferrariæ, hinc inde ſimul rhodigii polleſinũ et Lemniacum oppidum aggredi uelle. Contra ſoliciti Veneti quæcũq; uſui eſſent facere, munire oppida, cuſtodias locare, exercitui ſupplementum mittere, & ne turris quæ ſtat e regione Lemniaco aliquãdo obeſſe poſſet, ſubterducta foſſa, & factis cuniculis, ligneis peſſulis

illam penſilem fecerunt, ut ſtatim igne ſuppoſito fa-cile dirui poſſet, ſi aliquando uſuueniat. Deinde am-nis Athesis ſciſſuræ occluſæ ſunt, & quæ Sabadina ruptura dicitur, & quæ duæ erant altera ſupra, & altera infra portuenſem turrim, ut ſic exuberante amne multa aquarum ui quandocunq; opus eſſet, in hoſtes aggeres ſecēt ad Treſentam oppidum, Caſtel-lum Vielmium, & Turrim donatiam. Et parte al-tera uſq; ad Padum amnem protinus aquas immit-tant, & identidem parte altera ad oppidū Abbatiæ aggeres incidāt, & totam regionem uſq; Patauium, & ſalſas aquas inundent, atq; circū oppida altā pa-ludem diducant. Iulius Pontifex autem enixe cura-bat, Ducem Ferrariæ cōtra Venetos bello deſiſtere, & nolebat gallos, aut Padum traiicere, aut uſq; duci auxilio fore. Sin aliter aiebat ſe gallis armata manu protinus obuiam iturum, ut rem Pontificiā tueretur. Cæterum Rex gallorum cōpoſitis rebus cum Rege angliæ, nihil erat tam arduum, quod facere non au-deret, & q̄uis dubitaret, quæ inde pericula ex ger-mania & hiſpania imminere uiderentur, uolebat ta-men cūctis poſthabitis Regē Vaſconiæ Domino boi-ſenſi cedere, Pandulphū petruciū e Senarū urbe eii-cere, & ſuas copias in Italia Duci Ferrariæ contra Venetos ſuppetere. Iam uero uentum erat a gallis uſq; ad amnem Atheſim, & deinde cæptum eſt flu-minum diuerticula capere ligneis obicibus, & com-pactis ferramentis, aggeſtiſq; e terra aggeribus, ſciſ-

ſuras obturare. Contra Veneti quãuis pauci eſſent, freti tamen aquarum uorticibus paſſim hoſtibus obuiam ire, & ubiq; operibus infeſti eſſe. Stabat intra obductam paludem e regione operibus parua polleſinus, hanc Veneti ſtatim occupant, & inde miſſilibus telis & tormentis militiæ opera loco ſemouẽt, aut ſauciant, aut necant. Hoſtes multitudine militum & tormentorũ ingenti copia audaciores erant. Veneti aquarũ uorticibus poſſe uincere uidebantur, ſi paululũ enitãtur. Vtrinq; acriter agebatur. Vtrinq; multi tormentis militiæ cadebãt. Deniq; hoſtes magis magiſq; obnixi ſunt tormentis militiæ agere, & Venetos loco detrudere, ſicut etiã fecerunt, & Veneti inde ultra amnem Atheſim ad Candã repulſi ſunt, ubi eorum ſita omnis ſpes erat, ſi poſſent aggeres manutenere, & uetare hoſtes Pontem iacere, & flumen traiicere. Et quidem per biduum ſtatũ eſt & uetitum hoſtes pontem conſtruere. Sed cum hoſtes contra poſuiſſent maiora tormenta militiæ, neq; Veneti ualerent amplius obſiſtere, aut uſq; ſupra aggeres apparere, inde omnibus ingẽs timor ingeſtus eſt, ne hoſtes ui illata pertranſeant, & ſimul de omnibus copiis actũ ſit. Igitur ui & timiditate uicti Veneti ſeptuaginta milites, ſexcenti leuites, & mille pedites hoſtibus loco ſtatim cedunt, & dum noctis interuentu facultas eſt, protinus in pacatũ eunt ultra amnem Atheſim ad Turrim marchioniã, atq; inde itum eſt Monſilicẽ & Aponũ, ſimulq; parte alia An-

dreas Grittus repente Vincentiam uenit, & deniq; hinc inde proceſſum eſt cum toto exercitu, & caſtra ad Brẽtellas prope Pataniũ ſita ſunt, quo pauloante uenerat, & Paulus Capellus, qui Petro marcello & Ioanni Paulo gradonico legatus in caſtris ſuffectus eſt. Is enim locus interclufus aggeribus & fluminum ramẽtis opportunus uidebatur, ubi tutiſſime ſtaretur, & unde Veneti poſſent ſemper hoſtibus obuiam ire, ubiq; ſociis auxilio eſſe, & ſemper Pataniũ anteuenire, ſi hoſtes usq̃ meditentur iter præcludere. Interea uero omnis exercitus hoſtiũ mille milites, mille quingenti leuites, & undecim millia peditum ſtatim Rhodigiana polleſino deditione potitus eſt, & illico traiecto Atheſi flumine in ſolum Patauinum & Vincentinũ uenit, agros uaſtare, & prædas agere. Vnde fuga trepidiſſima paſſim fiebat, atq; edicto ꝓpoſito ex agris corruptis frugibus omnes ibãt in oppida, ubi ſe tutos fore putabãt. Sed etiam oppida ultro hoſtibus dabãtur, & collatis quinquaginta millibus numũ ſimul urbs Vincentia deditionem fecit, ne prædæ militibus foret, & tamen non potuit ſubterfugere. Adeo ſemper parum profuit illis credere, quibus merito nulla fides haberetur. Siquidem paulopoſt hoſtes germani ad duo millia equitum & ſex millia peditũ ex Verona Vincentiã uenerunt, totam ciuitatẽ diripere, & amplius in latomiis cõtra pueros & mulieres ſæuitum eſt. Nãq; in proximo monte duæ latomiæ ſunt, in quibus Vincentini cum diuite

ſupellectili aufugerant, & ad hoſtia ſe fortiter tuebātur, uſq; adeo in alteris propter amplitudinē ſemper impune ſtatum eſt, ſed in alteris anguſtioribus fumo omnes enecti ſunt, & germani hoſtes ingentem prædam egerūt. Hoſtes alioqn galli uaſtatis paſſim agris Lemniacū oppugnabāt. Eſt oppidū Lemniacum ſupra ripas amnis Atheſis in campo ſitum, & munitū magis opere q̃ natura. Nāq; amplā & aquoſam foſſam habet, lata mœnia, & pmuralia, probeq; cōpacta propugnacula, nec deſunt quadringenti pedites, qui cum multis tormentis militiæ locum cuſtodiant, & amplius aquarū uorticibus paſſim altā paludem obduxerant. Igitur oppidani & omnes milites intenti paratiq; ſtare, ſemouere hoſtem telis miſſilibus, & nihil tutum munimentis pati feſtinare, parare, atq; in primis tormētis militiæ in uaſtatores acriter agere ferire & facere, ut hoſtes denū compulſi ſint paululum recedere, tantiſperdum nouos uaſtatores accerſcunt, qui operi poſſint ſuppettere. Veneti uero ex Patauio rati poſſe hoſtes ab oppugnatione auertere, ubiq; eis infeſti erant, conabanturq; pabulatores, & ſi qui hoſtium aliquo tendant, ſemper intercipere, & frequenter obuiam ire oppidanis & uillicis, qui ad hoſtes deſciuerant. Deniq; Venetorū omnis exercitus cum fidiſſimis agricolis aduerſus Vincentiā in expeditionem exiuit. Forte Vincētiæ præſidio ſtabāt militum Italiæ, & germanorū equitum duo millia, & ſex millia peditū, quibus cum nunciatū eſſet Venetos

aduentare, illi auſi ſunt ſtatim obuiam ire, & manũ conſerere cum Venetorũ leuitibus qui anteuenerãt. Et quidem utrinq; fortiter ſtatum eſt, donec leuibus equitum prælud:is procurſando, & ſe recipiendo raptim potius ageretur. Sed poſtq̃ aduentãte exercitu in certamẽ ibatur, facile hoſtes uicti fuſiq; ſunt. Videbanturq; omnes copiæ hoſtiũ proculdubio magnũ periculum ſubire, niſi protinus ſe intra mœnia condant non ſine ſuo magno malo, quia in eo prælio capti centũ hoſtium, & plures deſiderati ſunt. Nihilominus parte alia leuites pollicenſes eũtes uiſum quid hoſtes agant, ad uillam Liſieriã uenerunt obuiã peditibus hoſtiũ, qui regionem prædatũ ibant. Et quidẽ Veneti uiſos hoſtes audacter aggrediuntur, aggreſſi paruo diſcrimine eos fugant, fuſos eorum ad centum quinquaginta facile necant. Cæteri in fugam cõuerſi ſunt, & latitando per altam meſſem uix etiam incolumes fugerunt. Dum uero iſta per Venetos fiunt, apud Lẽniacũ infœliciter agebatur, quia hoſtes reuerſi iterũ ad oppugnãdum Lenniacũ primo quoq; tempore aquarũ itinera partim obturant, partim ſuper iniecto ponte traiiciunt, & uadunt in portuenſẽ ſenuiuſiũ oppidũ. Deinde ceptum eſt tormẽtis militiæ fortiter Lenniacũ concutere & paſſim mœnia perforabantur. Contra oppidani intenti paratiq; ſtare, hoſtibus acriter obuiam ire, cõpacta lana patulos parietes iungere, deniq; quicqd facto opus eſſet, nihil intentatũ relinquere. Porta erat & pars muri debi-

lior, cuius fuerat Carolo marino demãdata cuſtodia, ea uia hoſtes aditum quærebant, qua etiam maiores uires eorum incubuerant. Alii conabantur admotis ſcalis murum aſcendere. Alii per ruinas muri in caſtellum ire. Alii uineis & arietibus portã cõfringere. Et quia Carolus marinus uidet nõ poſſe amplius obſiſtere, retrocedendi protinus in arcem conſiliũ cepit. Sic captũ oppidũ fertur, atq; deinde in omnẽ ſexum crudeliter ſæuitũ eſt, & cõceſſa omnia in prædam militibus. Neq; multo poſt in arce etiam diſſidere ceptum eſt, & tãdem in mentẽ uenit ſe & arcem hoſtibus dare, & experiri miſericordiã potius quam uim hoſtium. Itaq; Carolus marinus in poteſtatem hoſtiũ uenit, ſimul cum quattuor aliis nobilibus, qui nuper ex Venetiis uenerant, & milites inermes dimiſſi ſunt. Capto Lemniaco Venetorũ omnis exercitus ad Brẽtellas rediit, ubi ſtudebatur ſeruãdæ reipublicæ, Pataiiũ & Mõſilicẽ omnibus modis munire, & leuitum cum hoſtibus frequenter res erat. Nãq; Veneti leuites modo ſe gallis, interdũ germanis oſtẽdere, poſtremos in agmine tentare, ac ſtatim in caſtra regredi, rurſus aliis, poſt aliis minitari, neq; prælium conſerere, neq; ocium pati, ſed ſemper hoſtem exercere, uexare, & maxime in frumentatores ibatur late cædem fugamq; hoſtium palantium facere. Maroſtica oppidũ eſt ſitum ad colles, et nullius idoneæ rei egens erat, illud tamen nuper hoſtes germani uelle oppugnare uiſi ſũt, & ideo legati Veneti de bi

quæ parabantur ab exploratoribus edocti, ſtatim iu-
bent alam equitum grauis armaturæ, cum leuis ar
maturæ ſcorpionariis equitibus, & Turcis haſtatis
equitibus ſociis auxilio feſtinare, & hoſtem anteue-
nire magnis itineribus. Sed forte equites turcæ &
dalmatæ aliud iter fecerant, ut ſine eis, alii hoſtibus
obuiam facti ſint. Nãq; in uilla prope oppidũ aliquot
pedites hoſtiũ prædantes offendunt, qui ſolis in late-
bris ſpem ſitam habebãt. Vix tamen tres eorum in-
tercepti ſunt, qui referebant quattuor millia hoſtium
Veronã exiſſe, & quia facile illis credebatur, Veneti
re infecta redierunt unde abſceſſerant. Aliter parte
alia equites leuis armaturæ uiſam aciem hoſtiũ auſi
ſunt audacter impetere, atq; inde paruo diſcrimine
hoſtes uincunt, ad ducentos eorum necant, alios ſau-
ciant, nõnullos capiunt, cæteros omnes fugant, & de-
niq; cum captiuis & manubiis hoſtiũ ſicut alii prio-
res ignominiã, ſic poſteriores iſti gloriam reporta-
runt. Parte alia ſimiliter ducenti equites leuis arma-
turæ, qui Maroſticæ præſidio ſtabant, hoſtibus facti
obuiã partim itinere altero equites ſcorpionarii ui-
cti fuſiq; ſunt, partim itinere altero liburni & græci
equites de hoſtibus uictoriam reportarunt. Quibus
geſtis bene animati agricolæ corruerunt in hoſtes
quoſdã equites grauis armaturæ qui ingẽtem præ-
dam agebant, & quia illi nihil tale uerebãtur truci-
datis aliquibus, cæteri relicta præda facile in fugam
conuerſi ſunt. Et deinde tantus timor hoſtibus inie-

ctus eſt, ut pleriq; ſaucii, pauci incolumes rurſus in urbem abierint. Nibilominus inde hoſtiliter ibatur uſq; ad portas Veronæ, frequēter inuadendo & intercipiendo, ſi qui hoſtium prædatū, aut pabulatum exeant. Ioannes Paulus Manfronus cum multis leuitibus collem occuparat quē accolæ Rouolonū appellant, unde proſpectabatur quid hoſtes agant. & galli qui Montagnanæ erant, & germani qui Vincentiæ morabantur, ſimulq; Leonardus hieroſolymitanus eques apud Monſilicem, necnō apud Baſſianū Federicus contarenus ambo cum equitatu leuitum ſemper intenti paratiq; ſtabant. Sed quanto maior erat Venetorum diligentia, tanto minus uſui fuit. Dum enim Veneti ſimul ubiq; iniurii ſunt, omnes copiæ hoſtium conuenerūt concordia, quæ antea partitæ erant diſcordia. Et quidem ea de cauſa germani & galli inuicē diſſidebant, quia dum gallis proſpera omnia cedunt, ut uictoria ſolent animu homunū nimium inſoleſcere, gallus iam tum publice aiebat, totius Italiæ imperium aſpirare, atq; amplius hiſpanis & germanis iniurius erat, & audacter negabat ſe daturū germanis Lemniacū, niſi prius opes redderētur, quæ multæ debebātur. Sed parum gallis res ceſſit ex ſententia, quia cum Regibus aliis gallorū nimia potētia periculoſa, & moleſta res eſſet, ipſi uiciſſim rem ſuam agebant, & ſumma ope curabant, illud anteq̃ eueniat cauere, quod alioquin eueniſſe ualde periculoſum foret. Et nuper propterea Rex Angliæ uidebatur

tur daturus nuptui ſororem ſuam Duci Burgundiæ, necnon Rex hiſpaniæ nouum fœdus exactius molie= batur cum Pontifice, quia uerebatur deſciturū eum ad gallos, ſimul ac nuper Cardinalis rhotomagenſis interiit, Rex autem gallorū propterea diſcrutiabatur animi, & mitius agēdo cum Rege hiſpaniæ & ger= maniæ pollicebatur ſe facturū omnia, quæcūq; uellēt. Itaq; hoſtes omnes conuenerant, & Veneti in caſtra redierant, ubi loco munito aggeribus, & aquarū di= uortiis ſe tutos fore putabāt. Stabat enim a frōte op= pidum Liminiū, a tergo Patauium, a lateribus altus & aquoſus fluuius, qui nuſq̄ uadari poterat, ut ex tanto numero equitū & peditū milites ubiq; poſſint ſpectatum eſſe, ſi hoſtes uſq̄ pōtem ſternere molirē= tur, id quod non neſcii facile uetent, ſin aliter ſaltem non ſinant traiicere. Curabatur etiam ex Venetiis nobiles & populares Patauio ſupplementum adcer= ſcere, largas opes congerere, picem, ſulphura, tedas, artificioſos ignes, lignamina, ferramenta, tormenta, & inſtrumenta militiæ, atq; annonā abunde parare, mu= ros reficere, aggeres erigere, & omnibus modis ur= bem munire, quatenus Veneti propulſandæ potius q̄ inferrendæ iniuriæ ſtudioſiores erant, niſi quandoq; detur occaſio hoſtes inuadendi, qui dum huc atq; illuc oppugnatum ituri uiderentur, frequēter aliquo prædatū palātes ibant. Sed parum profuit hoſtes ue= xare, quia illi propterea relictis oppidis, prope caſtra Venetorū ad duo millia paſſuum uenerunt poſtridie

pugnãdi copiam facere. Igitur Veneti edocti per exploratores leuites, ſimul ac uident periculoſum fore loco perſiſtere, mutarunt in melius conſiliũ, & deinde uenerunt intra mœnia Patauii cum omnibus copiis & cunctis impedimentis impune noctis ſilentio, quibus cum ingreſſi ſunt & miſeri agricolæ ingens multitudo cum liberis cõiugibus & paupere ſupellectili, ut omnes miſeratione mouerentur, & deteſtarentur bella immania, quæ faciunt homines crudeſcere, & Regũ deliramenta, eorumq; immodicas regnãdi cupidines conuerti in caput, & detrimentum pauperũ, qui nihil unq̃ tale cõmeriti ſunt. Nãq; hoſtes acriter in uictos conuertebãtur prædas agere, uaſtare, demoliri, comburere, ſacra incæſtare, pueros & puellas in captiuitatem abduceee, & prolabi in omne ſcelus & facinus, quod diis iratis merito ulciſcendum ſit (ſi Dii curant mortalia) & nullum malum impunitũ ſinunt. Interea Iulius Pontifex ſumma ope nitebatur Regem romanorũ a gallis auertere cõſentiendo illi Lemniacũ Vallegiũ & Veronæ Ciuitatulam ſexaginta millibus nummũ redimere, ſi modo daretur in pignus Regium & Mutina. Nãq̃ Pontifex cum Venetis parabat contra Genuã & Ferrariã in expeditionem exire, atq; amplius uolebat petenti Regi hiſpaniæ Neapolim in feudum dare, & ſic in conſiſtorio loquebatur. RECTE QVIDEM traditum eſt a noſtro Platone in Alcibiade primo, oportere quemq̃ accedentem ad rempublicã ſecum

afferre Alexipharmacum, quia in omni conſultatione debemus prohibere malum & ſuadere utile, ſicut et nos modo ad uos uenimus facere, & cum magno ueſtro fœnore Regi hiſpaniæ regnum neapolitanum in feudum dare. Neq; profecto c noſtro inſtituto rem alienam agimus, quatenus ducti utilitate ſummi Antiſtites & ante collatione feudi decenter uſi ſunt. Nempe olim Comes Franciſcus Sfortia Eugenio Pontifice Piceni totā prouinciā occupauit diſſimulatione, & tamen illa libenter ei etiam data in feudū eſt, ut aduerſus Philippū Ducem Mediolani ſtipendia Pontificis mereret. Neq; tamē tunc nobis res erat cū Ludouico Rege gallorum cui totus orbis non ſufficit, tantæ ſunt opes & uires eius, tāti ſpiritus, tāta imperandi auiditas. Veniat quæſo in mentem ueſtram modo Dux iſte Ferrariæ quid agat ſatelles eius, ut a noſtra ditione ſe ſubtrahat, ut noſtra imperia nihil curet, nihil faceſcat. Cum talia audeant ſerui conducticii, quid Domini facient? Iam a Rege gallorū bonis Eccleſiæ interdicitur, & contra ſedem apoſtolicam Dux Ferrariæ protegitur, regnū neapolitanū, de quo nunc agitur, ipſe nunq; nobis acceptum retulit, & amplius nobis inrequiſitis in alium trāſtulit. Quo fit ut ille amplius in eo regno nullum ius habeat, & nos proculdubio uti poſſimus iſta collatione, quæ ſedi apoſtolicæ uidetur profutura. Nāq; propterea Rex hiſpaniæ in ferrarienſi expeditione noſtra, quadringentos milites dabit, atq; alia multa bona prouenient,

quæ ex iſtis bonis initiis ſequi ſolent. Igitur id quod eſt cum dignitate Pontificis honeſtū & utile, & uos omnes in bonam partem debetis accipere, niſi aliqui ueſtrum magis aliorum, q̃ ſedis apoſtolicæ utilitate ducamini. Poſtq̃ Pontifex dicendi finem fecit, a pluribus itum eſt in eius ſententiā, & deinde ſtudebatur bellum parare, & nihil prætermittere, quod uſui foret, præſertimq; curabatur heluetios confeſtim in agrum mediolanēſem aduerſus gallos irrumpere, & Marcū antonium Columnā cum exercitu, Venetoſq; cum claſſe contra urbem Genuam feſtinare. Deniq; Pontifex expulſis gallis & ferrarienſibus oratoribus, cunctis Regibus litteras dedit, quibus continebatur gallos in Sedem Eccleſiæ contumaces eſſe, ſimulq; Pontifex ſtatim iubet Octauianū Fregoſium, & Nicolaum Doriā, atq; extores alios Genuā ire, & omnes inhortari, patriam libertatē capeſcere, ad quos ipſe etiam litteras dedit in eādm ſententiam. NOSTRAE LITTERAE uobis Genuenſes redd dūtur, non quia putemus ſuaſione opus eſſe in ueſtra patria libertate capeſcēda, nemo enim tam rudis eſt qui neſciat omnibus rebus patriā libertatem anteire, ſed quia uolumus uos omnes cōpertū habere, in ueſtra manu ſitum eſſe, ueſtram patriā in libertatē redimere. Nāq; ad eā rem expeditiſſimas copias Duce Marco antonio Columna, & claſſem noſtrā paratiſſimā, necnō heluetios bellaciſſimos populos, & amplius probe inſtructam claſſem Venetam habemus

ut ſi uos parati eſtis facere quæ uos decet, proculo dubio apud uos erit optata uictoria. Enitimini igitur quãto maxime poteſtis, et eſtote unanimes in re omnium, atq; operam ueſtram patriæ tam bene locatæ in tanta rerum bene gerẽdarũ occaſione. Quod ſi feceritis ut confidimus, nos quoq; operam dabimus, ut modo patriã in libertatẽ uendicetis, & eam in poſterum retinere poſſitis. Lectis his litteris Pontificis, tota ciuitas cõmota eſt, & contra gallos nouæ ſeditiones ortæ ſunt. Parte alia ſimiliter Rex angliæ cõtra Regem gallorum omnibus modis cauſam diſſidii quærebat, necnõ Rex romanorũ cũ Oratore hiſpano de Rege gallorũ ualde cõqueſtus eſt, & annuentẽ Regem hiſpaniæ in nouũ fœdus hortabatur. Igitur galli circũuenti uidebãtur, et nuper in caſtris tumultuatum eſt, ſimul ac certiores facti ſunt, de his omnibus quæ fiebant, atq; ideo præter ſeptingentos milites, Magnus magiſter cum Ioanne Iacobo Triultio & reliquis copiis Mediolanum ſtatim uenit, ſi poſſit uenictibus heluetiis obſiſtere, & titubantẽ Genuam in fidem priſtinã retinere. Aliter germani prædãdo cuncta igni ferroq; crudeliter agebant. Nãq; ad ſæuitiam excitandã bacchi etiam iocũ habent, ex quo ſocietate facta cellam uinariã petunt, ubi uini bonitate allecti, iureiurãdo ſe non diſceſſuros adſtringũt, niſi totum uinum deglutiant, aut ebrietate rumpantur. Nuper uero uaſtatis paſſim agris hoſtium omnis exercitus cum quadringentis hiſpanis militibus, qui tandem

tandem in caſtra uenerant, ad uillam Bataleã caſtris locum elegit, ubi tutiſſime ſtaretur aquarũ diuortiis, atq; abũde haberentur cõmeatus ex rhodigiana polleſino & ſi uelint Monſilicem oppugnent, Patauium terreant, ſemperq; auxilio eſſe poſſint, ſi copiæ Pontificis in ſolum Ferrariæ aliquid molirentur. Veneti uero ad omnia tuenda & obeũda ſemper intenti paratiq; ſtabant, præmiſſiq; ſunt parte altera equites grauis armaturæ ſuper ripas Meduaci fluminis, qua Monſilicẽ itur, molas triticeas corrũpere, ne hoſtibus uſui forent, & ſimiliter parte altera uerſus uillã Tencaroliã equites leuis armaturæ uiſum ibãt, quid hoſtes agant. Hoſtes uero illis facti obuiam fugientes Venetos ſemper aggreſſuri, uſq; ad baſſanellum uenere, & quia inde Veneti non iniuria ueriti ſunt hoſtes Patauiũ oppugnatum uenire, primo quoq; tempore arma expedire, bellum parare, tormenta militiæ locare, milites diſtribuere, ianitores per ſingulas noctes e pixide ductis ſortibus mutare, uiſorias & auſcultatorias excubias paſſim habere, atq; alios præficere, qui per totam noctẽ urbem perquirant, ſi qui diſcedant ab officio, & noctem in ſomnem non ducant, præſertimq; portam Caudæ longæ munire aggeribus, & anteportariũ propugnaculũ erigere, deniq; nihil prætermittere, quod oportet facere, cum in propinquo hoſtis eſt. Aliter hoſtes ad uillam Bataleam reuerſi ſunt, & ideo Antonius pius, & Leonardus hieroſolymitanus eques cum centum leuitis

bus apud Baſſanellũ ſtabãt, ut ſemper ſciretur, quid hoſtes agerent. Et identidem parte alia uerſus uillam Carariam a Laurentio cerinate cum trecentis leuitibus ibatur, ut ſi hoſtes prædatũ aliquo palantes diuertant, ipſe illis infeſtus eſſet. Hoſtes autẽ germani & hiſpani, quia diffidebant cum gallis iuerunt Monſilicẽ capere. Sed quia oppidum armis utriſq; bene munitũ uident, atq; omnes pariter in procinctu ſtare, primo quoq; tempore conati ſunt munimẽta, & mœnia tormentis bellicis in terram proiicere. Cũq; magna pars muri procubuiſſet, ſimul omnibus locis prælĩu conſertum eſt, quod quidem diu anceps ſtetit, dum Veneti omnibus locis & modis omnibus primo audacter agendo uiſi ſunt poſſe audaciã hoſtiũ reprimere. Sed poſtremo quia ex Venetis qbuſq; cadẽtibus nõ poſſunt integri alii ſuccedere, ſicut hoſtiũ ſemper erant ſupplementa recẽtia, deniq; Veneti cum magna ſtrage uicti fuſiq; ſunt, & capto oppido omnia prædæ militibus fuere. Sed apud Patauiũ ea faba cudebatur in caput Soncini benzonii, qui forte per idem tempus in Venetorum poteſtatem uenit, & quia tunc ille oblatus eſt, cum omnes amiſſũ Monſilicẽ ægreferent, eius male actæ uitæ crimina etiam grauius ſuſpẽdio ulti ſunt. Et quidẽ dum ea res agitur rixatũ eſſe & tumultuatum in foro uidebatur, quia exercitus Gubernatore carebat, atq; ideo Lucio maluetio poteſtas Gubernatoria collata eſt, ſimulq; Laurentio cerinati Imperium omnium peditum, quia Dionyſius

naldius plenus rerum geſtarum gloria per eos dies perierat. Dum ea uero apud Pataviũ gerũtur Marcus antonius Columna in expeditionem exiuerat cũ Pontificis ſeptuaginta militibus & octingentis mercenariis peditibus. Nam cætera multitudo collectitia ingens eorum erat, qui potius fortunæ & uictoribus affecti ſunt. Iamq; Macrã amnem traiecerat, & Specium oppidũ deditione ceperat, faciebatq; iter ſimul cum claſſe Veneta undecim triremium iuxta mare uerſus Seſtrium & Chiauariũ, quibus ſimiliter captis oppidis uenerunt in flumen Enteliam, quod ex monte haud longe ab urbe labitur in mare. Eſt autẽ urbs Genua liguſticũ emporium, unde Apennini mõtes incipiunt, & amplius ingentem portũ habet bene munitum propugnaculis. Illi tamẽ putabant expeditionem facilem fore, quia etiam Adorni & ſpinulæ rebus Põtificis ſtudere uiſi ſunt, ſimul ac cernũt exercitum Pontificis rebus ſuis non minus q̃ fregoſiis cõſulere. Sed tantũ abfuit, ut cum uentum eſſet ad urbem Genuam, ne fregoſii quidem auſi ſint res nouas moliri, quia urbs uiris armiſq; probe munita eſſet, & ideo pauci milites Pontificis, ut non poſſe urbem inuadere uiderentur. Atq; ideo illi potius parabant nocte media per mare ad locũ Serzanii repente in urbẽ uadere, qua parte res nouas moliri factioſi intenti paratiq; ſtabant. Sed cum hoſtibus relata res eſſet, illi cum una naui & duabus triremibus locum protinus antecapiũt, & amplius Adorni & Spinulæ

quingenti ſcorpionarii & galli ſexcenti pedites ſubſidio uenere, atq; etiam prope urbem ad duodecim millia paſſuū ſtabat claſſis gallica ſex triremiū, quq; nauium, & nauigiorū plurium. Igitur cum urbis potiundæ nulla ſpes eſſet, re intentata terra mariq; receſſum eſt, & Romā uerſus ibatur, atq; inde uelificantes uenerunt in portū finiū, ut ſubducerent nauigia, quibus egebant ad traiiciendū pedites. Eſt autem portus prope Genuā, capax multarū nauium, et quædam oppida ſupeminēt, unde hoſtes conabantur ulciſci illatā iniuriam miſſilibus telis & tormentis militiæ, ut Veneti non potuerint ſubducere nauigia ſine ſuo magno malo, quia Franciſcus pollanus præfectus unius triremis Venetæ dum nimis audacter rem ipſam ageret, ſaucius tormentis militiæ uita non in gloria functus eſt. Cum ea uero quæ geſta erāt Hieronymus doria Romā nunciatum ueniſſet, & diceret rem ipſam maioribus uiribus egere, primo quoq; tēpore maior uis belli parabatur, curabaturq; claſſi alia nauigia ſuperaddere, & equites & pedites ſupplementum exercitui mittere, ſimulq; ſolicitabantur heluetii iter ocyſſime arripere, ut uno eodemq; tēpore paratiſſima claſſe, & reditegrato exercitu hinc ex Liguria, illinc ex Sabaudia & ex Pede montium heluetiis bellaciſſimis populis uerſus urbem Genuam in expeditionē iretur. Hieronymus quoq; contarenus præfectus claſſis Venetæ Romā uenit, & apud Pontificem conſultabatur, claſſiq; additæ ſunt triremes

Venetæ maiores quattuor, & duæ naues Pontificis quibus ſuperuehebantur Duces Octauianus & Ioānes fregoſius cum quadringentis peditibus. Itaq; paratis omnibus ex ſentētia iterum in eam expeditionem ibatur. Et cum nauigaßent aliquādiu ecce intereundū claßem hoſtium conſpicātur tenētem altū & uenientē ex aduerſo. Nec mora, ut mutuo ſe conſpexerunt, utrinq; omnia inſtruūt ad confligendū, & locant milites multosq; ſagittarios & iaculatores ſuper cataſtromata. Sed alioquin cum uentū eſſet ad iactum lapidis, in alto prope urbē Genuā inter claſſes certamen fuit ſolūmodo tormentis militiæ. Nāq; aliter Veneta claſſis, claſſem hoſtiū aggredi non audebat, quia nauigia hoſtiū & maiora & plura eßēt. Sed alioquin tentata ciuitas eſt, & quattuor triremes in eam expeditionē ibant, & ſuper unireme Ioānes fregoſius cum acie peditū in portū ciuitatis anteuenerat, ſi poſſet aliquo pacto incautos hoſtes offendere. Sed tantū abfuit, ut hoſtes potius parati intentiq; ſtarēt, & quia ex caſtello cui Lanterna nomē eſt, tormentis militiæ acriter agebatur, Pontificii & alii fregoſii noluerunt in portum ire. Igitur infecta re iterum receßum eſt, atq; ea parte infœliciter agebatur. Aliter parte alia Pōtifici Iulio proſpera omnia cedebant, quia Cardinalis Papiæ cum ualido exercitu eundo uerſus Ferrariā Ducis omnia oppida citra Padū deditione ceperat, & amplius cōmota conſpiratio in Ducē et gallos magis magiſq; in dies Fer

rariæ augebatur; ut illud ſolum ualde obeſſe uidere-
tur, quod galli ditione Marchionis Mantuæ nimium
familiariter utebãtur. Atq; ideo Põtifex Venetos ro-
gabat illũ e captiuitate educere, quod & tandẽ im-
petrauit, ut delectus Imperator exercitus Venetorũ
ueheretur Ariminũ eadẽ triremi, qua & orator Põ-
tificis Conſtãtinus barnicius traiecturus erat in ger
maniam, ſimul ac Rex romanorũ ualde declinare ad
pacem uel ad inducias cum Venetis uiſus eſt. Hoſtes
uero qui capto Monſilice uti uictoria uolebãt et Pa-
tauium oppugnare, iſtis de cauſis rati ſunt defenſiõe
potius quã offenſione opus eſse, atq; inde ex uilla Ba-
talea receſſerunt partitis copiis, ut germani hiſpani
& galli quingenti milites Veronã cuſtodirẽt, & Fer
rarienſes galliq; trecenti milites Ferrariã. Nãq; cæ-
teræ omnes gallicæ copiæ Mediolanũ & urbem Ge-
nuam ſubſidio anteuenerãt. Ea cognita abitione ho-
ſtium, Aloyſius Mocenicus cum ualido exercitu ex
Tauriſio mouit contra Axiliũ oppidũ, quod ſitum eſt
iuxta Muſonem fluuiũ, & intus habebat Germanos
octingentos pedites, qui parati ad omnia obeũda ui-
debãtur. Igitur Veneti primo quoq; tẽpore tentare
per tubicinem, ſi hoſtes uelint deditionẽ facere, ſed
cum ſuperbe reſponſum eſset, repente immiſſi leuites
paruo diſcrimine cõbuſtis foribus in caſtellũ uadũt,
quia ciues & populares cupiunt in fidem Venetorũ
redire, ſicut & facile ſuamet proditione uicti ſunt.
Capto oppido a ductoribus hoſtiũ cum uigintiquinq;

germanis peditibus in arce receſſum eſt. Nam cæteri aufugerãt, qui e manibus hoſtiũ potuerunt euadere. Eſt arx alta decempedali murorũ amplitudine habens parte tertia iuxta ſoliũ terroſa mœnia, ut pugna manuaria ſine fuſilibus tormẽtis militiæ ui capi non poſſet, neq; porta arcis cõburi poterat, quia alta anguſta & catarracta erat. Cæptum tamen eſt conſeri leue præliũ, & diruti ſunt muri anteportarii, donec admouerẽtur uineæ & grandiora tormenta militiæ, deinde acriter agebantur, & iã magna pars muri procubuerat, atq; plures hoſtium cadebant, quorũ fortuna erat deterior. Igitur hoſtes tandem deſperatiõe ducti ſunt deditionẽ facere, & Michael friſcener cũ pulchra uxore, & captiuis aliis in hoſtiũ poteſtatem uenit. Poſtea quia alia oppida ad Venetos deſciuerãt, cum ſexcentis quinquaginta peditibus, & centũ quinquaginta equitibus contra Maroſticam geſta res eſt, ubi præſidio erant Germani quinquaginta pedites, & triginta equites, atq; inſup cuncti oppidani ad omnia belli officia ſemper intenti paratiq; ſtabant. Veneti omnibus modis admotis ſcalis conabantur murũ aſcẽdere. Contra hoſtes nihil tutum patiebantur, deniq; Veneti ſuppoſito repẽte igne fores cõburũt, et ea uia oppido potiti ſunt, cũ hoſtes in arcem ſe protinus recepiſſent. Dũ uero Veneti arcẽ ſumma ope oppugnãt, germani hiſpani et galli omnis exercitus hoſtium ferebatur applicuiſſe Vlmũ oppidũ diſtans a Maroſtica quattuordecim millibus paſſuũ, & oppidanis ſubſidio

feſtinare. Sed ea cũ in incerto res eſſet, ex re dubia diligentia, ex celeri timore audacia orta eſt, & ſiqui dem uidẽt celeritate opus eſſe, ſicut ſæpe fieri ſolet, tanto maxime operi incumbunt, ut demũ hoſtes pacti ſint Venetis oppidũ tradere, atq; illud in fidem rece ptum eſt, & hoſtes omnes inermes dimiſſi ſunt. Nihi lominus apud Forũ Iulii frequenter cũ hoſtibus age batur & paſſim leuia certamina fiebant, dũ uiciſſim cupiũt oppida capere, prædas agere, rapere, fœdare, cõburere. Et nuper legatus Aloyſius delphinus dedi tione cepit caſtellum Vipolzaniũ quod interiacet Go ritiam & Cromoniũ, quia multũ refert hoſtibus iter occludere, quo ex Goritia Cromoniũ itur. Et amplius Aloyſius Portẽſis apud Cromoniũ cæſis hoſtibus re cuperauit ingentem prædam, quã illi paſſim egerant. Atq; identidem parte alia Conſtantinus paleologus cũ haſtatis equitibus apud Monfalconiũ liburnos ho ſtes uincebat, niſi ſubſidium ueniſſet. Nãq; alioquin oportuit Venetorũ leuites ultra amnẽ liſuntium in pa catũ recedere, atq; hoſtes quingenti equites & mille ſexcenti pedites non potuerũt amnẽ traiicere. Per idẽ tempus in Iſtria etiã bellum aſperum uigebat, & nu per Damianus Tarſenſis cũ Andrea Ciurano ſemper intentus ſi poſſet Piſinium oppidum capere, iterũ in eam expeditionẽ omnia utilia parabat, & cũ primũ paſſim cõueniſſent in caſtra ſupra quatuor millia ho minũ, quia multum refert Caſtrum nouum & Pede montẽ oppidum antecapere, utrobiq; fœliciter geſta

res eſt. Aliter cũ uentum eſſet ad Gallignanlum Ve-
neti cũ magna ſtrage repulſi ſunt, tum quia oppidum
ſitum in monte prærupto, & armis uiriſq; bene mu-
nitum erat, tum quia a Matheo iadrenſe cum parte
copiarũ temere ſuſcepta res eſt, & tamen adhuc om-
nis exercitus auctore Damiano tarſenſe oppidũ obſi-
debat. Sed poſtq̃ uidet hoſtes eruptione facta ſæpe
audacter agere, & in periculo ſita eſſe tormẽta mi-
litiæ, ſtatim inde ſoluta obſidione noctis ſilẽtio in pa
catum abiit. Nãq; alioquin hoſtes terra mariq; infeſti
erant, & nuper Tergeſtina uniremis uſq; Muglam
urbem uenit, q̃uis inde a muglenſi biremi ſtatim re-
pulſa ſit, ſicut etiam cum ueniſſent ſexaginta equites
hoſtium, & ducenti pedites ad Ronʒiũ oppidum, &
ad oppidũ Adignanũ ducenti equites, et multi pedi-
tes, & ad Rubignũ trecenti equites & quadringenti
pedites, ubiq; non impune prædati ſunt. Ad Caſtrum
nouum uero cum hoſtibus acriter geſta res eſt, & ſi
equites haſtati in officio mãſiſſent proculdubio actũ
erat de cunctis hoſtibus ducentis equitibus, & quin-
quaginta peditibus. Nãq; primo congreſſu Andreas
ciuranus Ducem eorum proſtrauit humi, & uiſa eſt
acies hoſtiũ inclinare. Sed quia Veneti equites abie-
rant, et contra ipſum ſolum magna uis hoſtiũ ingrue-
bat, uix ille e manibus hoſtium impune dilapſus eſt.
Et quidem in dies magis magiſq; hoſtes totam pro-
uinciã uexabãt, quia modo Tergeſtini quattuor uni-
remes habebãt, & mare totũ infeſtũ reddebãt. Et ſi-

militer non abſiſtebatur bello in ipſam continentem, quia parte altera ad Piſiniũ ducenti equites hoſtium ſemper infeſti ſtabãt, & identidẽ parte altera ad Iuſtinopolim Chriſtophorus frangipanes cum trecentis equitibus, & quingentis peditibus nunq̃ ceſſat, agros uaſtare, & prædas agere. Et nuper ille cẽtum quinquaginta liburnos equites in inſidiis locat, & ſtatim iubet alios triginta uerſus hoſtes ſupra Ceruical oppidum ire, & illos ad locum allicere. Neq; difficultas fuit, adeo facile Iuſtinopolitani creduli centum pedites, præcipitarũt in inſidiis, & omnes capti aut cæſi ſunt, atq; amplius totam prouinciã longe lateq; prædatus eſt. Non tamen potuit Alboniã oppidũ capere, quia præfectus Michael foſcarenus retinuit oppidanos in officio, & illi paſſi ſunt hoſtes agros ſuos uaſtare, et prædas agere. Sed præda diſſidioſa hoſtibus fuit, & multi repedarũt in germaniam. Interea uero parte alia hoſtes quingenti equites in Foruminlii ad Feltrum oppidũ repente proruperunt, quo ſtatim deditione capto & igne abſumpto, tantũ terrorem iniecerant Venetis ſociis, ut paſſim facta fuga uicina oppida & omnia prædæ hoſtibus relicta ſint. Nãq; Venetus exercitus ad Gradiſcã ciuitatẽ erat, & dum ad Feltrum res eſt, mille equites hoſtiũ, et totidem pedites illis etiam infeſti ſtabant, & frequẽter leuia certamina fiebant, atq; ut plurimũ Veneti pauci uincebantur, quia Cauriana Mãtuanus eques, non niſi ducentos leuites habebat, & alii ad ſummum trecenti

equites erãt. Igitur cum ſubſidio opus eſſet, Antonius ſauorgnanus cũ tribus millibus hominũ ſtatim uenit, & dempta eſt hoſtibus confidentia. Nãq; nuper etiã Goritiam uenerant Dux branſuichienſis, lubianenſis Epiſcopus, Chriſtophorus frangipanes, trecenti quinquaginta liburni equites, & thraces ſeptingẽti pedites. Et quia uident ſecus ꝙ putarant non poſſe impune amplius prædas agere, inde ſtatim abeũdi noua Regis mandata deinduſtria finxerunt, & pleriq; abierunt in germaniã. Et quidem in iſto bello iſta res noua non fuit, adeo frequenter ire & redire hoſtes ſoliti ſunt, ut cuncta oppida Foriulii ſæpius capta & recepta ſint. Sicut & nuper Aloyſius Mocenicus cũ exercitu Ciuitatem Bellũni oppugnauit & diripuit, atq; amplius Ioãnes delphinus cũ Feltrenſibus mille quingentis agricolis, & quinquaginta leuitibus auſus eſt in germaniã ire, fugatiſq; hoſtibus Theſiniũ opulentam conuallem comburere. Deinde impune receſſit & cum duobus millibus hominũ proximos omnes ſaltus occupauit, atq; obſedit Couolũ cauatũ opus in medio prærupti mõtis. Et quia menſirua obſidio fuit, hoſtes aliquando ad tria millia hominũ laborantibus ſociis cõmeatũ afferre, per ſaltũ Scalanũ fruſtra conati ſunt. Nãq; ſtatim mille pedites uenerũt ſubſidio, & tantus timor hoſtibus iniectus eſt, ut illi conuerſi in fugam e monte etiam ſe præcipites darent. Et amplius uictis pulſiſq; hoſtibus ad Grignũ et Hoſpiciolum, ambo loca igne confeſtim abſumpta ſunt, quæ

prius erant proxima receptacula hoſtiũ. Atq; iccirco cum longum eſſet ſubſidiũ expectare, oppidani maluerũt oppidum tradere & in germaniã abire. Itaq; utrinq; uario euentu pugnabatur, & dum omnis in incerto res eſſet, ſemper ſimul de bello & de pace uiciſſim agebatur, & deniq; inter Feltrenſes & germanos illos Caſtri petræ & Vallis Primerii, mutuæ induciæ factæ ſunt, & cõpoſitis rebus Aloyſius Mocenicus repedauit in patriã minus tamen honorifice quia ex rebus geſtis inuidia orta eſt, ut illi etiã uitio daretur, diceretur q; propterea copias hoſtiũ ex Verona Vincentiã ueniſſe, & Forũiulii aggredi uelle, niſi uetent hiſpani & galli, qui ueriti ſe a germanis relictũ iri, cauſabantur difficilem expeditionem eſſe, tabidam luem ſæuire, & flumina repente increſcere. Veneti uero qui ſimiliter Paduæ ſæua lue premebãtur, ut tale exitium aufugerent, & terrori hoſtibus eſſent, ſi uadant in Forũiulii, mouerunt caſtra contra hoſtes uerſus Vincentiã, & parte alia octingenti pedites, & totidem equites ibant Rhodigianã polleſinũ recipere, quibus primo præter ſpem euenit, quia ſimul cum claſſe padana temere profecti ſunt. Sed cum paulopoſt conſulto iuiſſent ſuſis fugatiſq; hoſtibus facile ceperũt totã peninſulã. Nãq; duæ claſſes in ſolũ Ferrariẽſe pruperãt, altera p Padi hoſtiũ Fornacẽſe, altera p Padi hoſtiũ Primariũ, quæ ãbæ hinc inde conatæ ſunt oia ſubuertere, & ingenti terrore afficere agros uaſtare, p̃das agere, oppida diripe, captiuos ab

ducere, deniq; cũcta igni ferroq; miſerabiliter cõple-
re. Et identidẽ Leonardus hieroſolymitanus eques cũ
octingentis leuitibus Pado amne traiecto ad Criſpi-
num oppidum omnia prædatus eſt, & hoſtibus ma-
ximã trepidationẽ iniecit, atq; parte alia cum exer-
citu Pontificis contra Ferrariã acriter agebatur, &
iam fuerat interdictũ cenſuris eccleſiæ Duci Ferra-
riæ & omnibus qui auxilia præſtarent, captaq; urbe
Regio & Mutina ualde Ferrariæ tumultuatum eſt,
& Ducis uxor cum liberis & diuite ſupellectili pro-
tinus Mediolanũ abiiſſet, niſi ferrarienſes dicerent ſe
pariter urbem Ferrariã relictũ iri. Nihilominus par
te alia Veneti leuites Vincentiã anteuenerant, &
ubiq; hoſtibus infeſti erant, nunc equites ſcorpionarii
Vincentiæ uſq; ad portã Petrinam accurrere, nunc
græci haſtati equites ad portam fœlicianã hoſtẽ in-
uadere, & uſq; intra urbem propellere, quibus cum
& ſex græci equites nuper ſuburbium ingreſſi ſunt,
cumq; magna trepidatione omniũ uſq; ad ſecundam
portam uenerunt, & cum ab hoſtibus circũuenti eſ-
ſent, uix unus eorũ interceptus eſt, & alii omnes re-
dierunt ad ſuos incolumes. Deniq; Venetorum om-
nis exercitus inſectabatur exercitũ hoſtium, quia ad
paucitatem redactus erat ſeptingentorũ militũ, duo-
rum millium leuitum, & quinq; milliũ peditum, atq;
ideo intereundũ uerſus Veronã hoſtes quantum in
ſe eſt, caſtra uallo et foſſa apprime munibant, ubi flu-
minum ramenta non erant. Veneti uero octingenti

milites, tria millia leuitum, et decem millia peditum non neſcii quantum interſit in re militari ſemper occaſione uti, currus colligere, cõmeatũ expedire, omnia utilia parare, ex Foroiulii et Tauriſio milites acceſcere, atq; agricolas paſſim concire. Et quia ſtatim hoſtes uerſus Veronã abituri uidebantur, cum primum Veneti ad uillam turrium ueniſſent, datum negocium eſt Dominico boſicbio cum ducentis haſtatis equitibus montes proximos aſcendere, & declinare, ad brendulas ſuper itinere qua Veronã itur, ſi poſſint uetare cõmeatum uehi in caſtra hoſtium, & obiter eorum palantes aut impedimenta aliqua intercipere. Et identidem e regione latere altero ad uallẽ Dreſſanã quingenti equites ſcorpionarii duce Troylo ſabello iuſſi ſunt tria millia agreſtium conuenire, ut ſimul utrinq; illac pergentibus hoſtibus ſtatis locis, & uiarũ anguſtiis ſemper infeſti forent. Quibus omnibus compoſitis ex ſententia, cum nunciatũ eſſet hoſtem confeſtim abire, protinus deditione Vincentia recepta eſt, & recta quadringẽti baſtati equites Duce Federico contareno illuc in hoſtem celerius anteibant ſemper a tergo inuadere, & quantũ poſſunt ordines diſturbare, atq; inde omnis exercitus ſequebatur cum numeroſa manu agreſtiũ, qui ad certam uictoriã in caſtra Veneta confluebant. Illud uero præcipue curabatur, ut omnis exercitus hoſtem ſequẽdo ſub ordinibus militiæ ſtaret, neq; prælium cõſeri pateretur, quandoquidẽ Veneti uolebant inopia com-

meatuum hoſtem conficere, et contando incruentam uictoriam conſequi. Ventũ erat ad tabernulas cum primum ceptum eſt committi leuia certamina. Veneti leuites ſimul a tergo & utriſq; lateribus hoſtẽ inuadere. Galli hoſtes autem qui retrorſum ibant pedites & equites ad quinq; millia hominũ, tormentis militiæ Venetos ſemouebant, neq; prælıũ conſeri patiebantur. Igitur utrinq; ſimiliter agendo ulterius ibatur, & ſatis de fuga hoſtium conſtabat, quatenus illi præ timore reliquerant in caſtra uini frumenti & ordei magnã copiã aena & currus, atq; alia impedimenta huiuſmodi, ut omnes ducti in ſpem potiundæ uictoriæ tota regione conclamarẽt ad arma & contra hoſtes rebus Venetis audacter fauerent. Nihil tamen amplius ea die geſtum eſt, quia cum iam adueſperaſceret ad Suauiũ oppidum ſtabatur. Poſtera die ſimiliter equites leuis armaturæ præibãt, & ex monte pulchro omnis exercitus ſequebatur, & iam conſertum prælium erat, cum uix illuceſceret. Sed equites leuis armaturæ parum poterant grauis armaturæ equitibus obeſſe, multi tamen hoſtium peribant & multi ſauciabantur. Quare hoſtes maiore ui agendum rati multi equites & pedites ſimul coeunt ſub ordinibus militiæ, uidebãturq; Venetos aggredi uelle, potiusq̃ iter inceptum proſequi. Igitur & Veneti milites ſtetere, & deinde obuiam hoſtibus ibatur, cumq; uenetorũ omnis exercitus ueniſſet prope hoſtes ad duo millia paſsuum, hoſtes magis magiſq;

obnixi ſunt miſſilibus telis et tormẽotis militiæ Ve-netos repellere. Sicut & deniq; Veneti repulſi ſunt, & hoſtes potuerunt cõmode pedites & equites trãs Arpanũ fluuium ad Villamnouã traiicere. Quod cũ uideret Lactantius bergomenſis uir fortis & induſtrius, protinus ſuper turrim proximã pedites tormẽtarios poſuit, & loco repulit tormẽtarios pedites hoſtium, qui Venetos equites antefuderant. Deinde ſicut antea uerſus Veronã abeuntes hoſtes Veneti ſequebantur ſemper pugnãdo, et hoſtem urgendo quãtum poterant, poterãt autem parum nocere, quia milites hoſtium cataphratti ſunt. Poſteaq; uero omnibus copiis ad Villãnouam uentum eſt, non amplius quingentis paſſibus exercitus inuicem diſtabant, dicebanturq; hoſtes fuſi fugatiq; recedere, & proculdubio de eis actum foret ſi Veneti paululũ adnitantur, & collatis ſignis prælium conſeri poſſit. Cæterũ in incerto res erat, ſi copia pugnandi fiat, an pedites rebus agendis apti ſint, quia feſſi erant ambulando, & propterea rogabãtur dicere, an ſtandum, an eundũ eſſet & cum ab omnibus acclamaretur eundũ, tantis animis quantum dici poteſt in hoſtem ibatur, uolebãtq; cataphratti milites pedites anteire, ſed maxime ad res agendas peditibus opus erat. Igitur cum pedites nequiſſent ut oportuit iter accelerare, tãta uictoria Venetorum e manibus turpiter elapſa eſt, & Veneta caſtra ad fanum Martini ſita ſunt. Nãq; tantũmodo Veronã uſq; per Venetos leuites cum hoſtibus agebatur,

batur, ſero enim ad pedites relata res eſt, quia tunc oportuit cum princeps analtius qui forte apud Suaſſium ægrotabat, capto oppido ſtatim relictis pecuniis in caſtra fugiſſet, & præcepiſſet omnes copias ſub ordinibus militiæ ſubſiſtere. Sed Lutius maluetius quem penes erat facultas gubernatoria frequēter aiebat, cauendū eſſe dum niterentur ad melius, ne id bonum amitterent, quod partum eſt. Satis actū eſſe merito uiſum iri poſſe, ſi hoſtes in fugā conuerſi ſint. Itaq; conſultando quid agendum eſſet, dum facto confeſtim opus eſt, tanta occaſione rerum bene gerēdarum Veneti milites non uſi ſunt. Quod ſi etiam poſtea ſtatim urbem oppugnaſſent, multo ſane melius egiſſent, q̃ præſtolādo fruſtra tēpus opportunū conterere. Nihil enim peius eſt dilatione, quando omnia parata ſunt, & contra gallos potiſſimū ea maxima uis eſt, qui non minus ui q̃ celeritate uincuntur. Interea heluetii qui iampridem cum Pontifice conuenerant accepta mercedis parte iter facere in Italiam parabant, ſimul ac ualde animati ſunt in ſuorum primarium angulum, ut Baſilea & Conſtantia eſt, ſic Mediolanū urbem redigere, & quāuis metu Regis gallorum Dux Alobrogum ibat inficias trāſitum dare, & Mediolani Magnus magiſter cum ſexcentis militibus, et decem millibus peditum illis obuiā ueniſſet, illi poſthabitis omnibus prout ſunt audaciſſimi, ui ſtatim capto oppido Vareſio & Caſtionio ferro ſibi uiā facere perrexerūt ad locū, quem accolæ Pontē treſ

ſanum appellant , & quia id loci forte incuſtoditum erat, facile in poteſtatem illorum uenit. Itaq; beluetii pugnaciſſimi ducenti equites , & quattuordecim millia peditum aperto aditu ſolum mediolanenſe ingreſſi compleuerũt omnia terroribus. Et primo quidem illi prærupta montium tenere, deinde prodire, agros uaſtare, & prædas agere. Contra galli hoſtes qui ſe receperant ad Montiã oppidum diſtans a Mediolano decem millibus paſſuũ, modo ſtare & conſeri prælium detrectare, modo hoſtibus obuiã ire & cõcire leuia certamina, illudq; præſertim cauere, ut locis omnibus qua beluetii ituri eſſent ſubducerentur commeatus, & ſimul curabatur illuc caſtrametandi locum frequenter anteuenire, quo hoſtes ituros galli per exploratores præſcibant. Quare ſæpe fiebat , ut hoſtibus uictui ſuppeterẽt ſolæ uuæ & nuces, caſtaneæ molles & lapidoſa corna, & quod longe peius erat , præoccupatis ſedibus inquieti & laſſi ſæpenumero in duplo maius iter facere cogebantur , ut per hoc lentum & exangue bellandi genus & formulam uincendi, cito beluetii coacti ſint ſine mediolanẽſium & gallorum magno detrimento, repedare in patriã, & cum Rege gallorum in gratiam redire. Non aliter ꝙ olim ſub Principe Franciſco foſcaro , Martinus fauẽtinus imperator noſtri exercitus fecit. Nãq; cum Pipus ſpanus dux Sigiſmundi Regis hungariæ cum magno exercitu repente in Aquileianam prouinciam prorupiſſet. Ille æmulatus calliditatẽ. Q. Fabii cum

expedito agmine equitũ quacunq; hoſtis iturus erat, tectis incenſis, pabulisq; corruptis, interdum cedẽdo, rurſus inſtando, confectũ hungarum rerum omnium inopia tãdem noſtris finibus eiecit. Dum ea uero per heluetios aguntur, fruſtra a Venetis itum eſt urbem Veronam iterum oppugnare, ſimul ac illi apud locũ Martini per pluſculos dies morati ſunt. Et quidem primo quoq; tempore contra Caſtellũ fœlicianũ tormentis militiæ acriter agebatur e monte fœliciano, qui e regione caſtello urbis erigitur, & iam magna pars muri ſubſidii procubuerat. Sed hoſtes ſub compactis munimentis opera tormentaria tutius exercebant. Veneti uero quia ſine munimentis adminiſtrabant facilius ledebãtur, atq; ea maxima iactura fuit, quod & tormentis militiæ Lactãtio bergomenſi nates ſublatæ ſunt, dũ ille ſemper inter talia opera uerſaretur, ex quo uulnere tandem ille occubuit, qui rerum geſtarũ gloria, nunq̃ ita debuit inglorius mori. Neq; tamen inde a Citolo peruſino qui uices eius gerebat, deſiſtebatur cõcutere. Sed hoſtes cõminus agẽdum rati repẽte eruptione facta mille octingenti pedites Venetos inuadunt, qui tormenta bellica cuſtodibant. Et quia Veneti nihil tale uerebantur, facile cõpulſi ſunt tormenta militiæ incuſtodita relinquere, ut hoſtes poſſent eorum foramina ignifera obturare, niſi protinus Citolus cum manu paratiſſima ſubſidio ueniſſet. Sic reſtitutũ prælium eſt, quod quidem anceps & atrox fuit, donec Citolus fortiter agendo hoſtium

uulneribus cõfoſſus eſt,cuius in iſto bello opera talia fuere,quæ nunq̃ ſitu mereãtur ꝑire. Eo mortuo hoſtes in ſpẽ uictoriæ ducti nihil prætermittebãt quod uſui foret. Contra ſtatim obuiã ibat Dionyſius naldius uir intrepidus cum tanta manu peditũ,ut protinus hoſtes intra mœnia fuſi fugatiq; ſint. Deinde noctu & interdiu tormẽtis militiæ ſemper cum hoſtibus res erat, conabãturq; ſæpe Veneti milites per ruinas muri urbem ingredi, & paſſim hoſtibus infeſti eſſe.Cæterum ſtatio illa incõmoda et nõ ſatis fida Venetis erat,quia pedites ſupra montẽ ſtabant,& in ſubiecta ualle ſemoti equites, & flumen etiam longe aberat, quod ſi Veneti uelint urbẽ ui capere,ualde periculoſum fore uidebatur, cum hoſtes ſub ordinibus militiæ ſemper intenti paratiq; ſtarent, rumorq; increbreſceret ingentes gallorũ copias cũ Magno magiſtro Veronã aduentare ſubſidio, & Ducem branſuichienſem cum ualido exercitu feſtinare ex germania.Igitur a Venetis iterum ad fanũ Martini receſſũ eſt,ubi etiam frequẽter cum hoſtibus res erat, & ſæpe cõmittebãtur leuia certamina. Nuper uero cum mõti fœliciano ſubiectæ uallis Paltheniæ agreſtes auxiliũ implorarẽt aduerſus hoſtes, q illuc prædatum ituri erant,quia Veneti pauloante eorũ bona uenia ſuis rebus cunctis familiariter uſi forent, datũ negocium eſt Ioanni græco cum trecentis leuitibus eo ſtatim pergere. Vix ille ad locum uenit,& protinus hoſtes aggreſſus eſt,quãuis illi octingẽti & plus

res erant. Sed quia palãtes ibant facile Venetis proſpera omnia cedunt. Nãq; primo impetu dum hoſtes aufugiunt, multi eorum cæſi & ducenti capti ſunt. Quod ſi affuiſſent & equites cataphratti qui ſequebantur, hoſtes ad unum cæſi aut capti eſſent, atq; illa fuiſſet longe dies candidior & maior uictoria. Verũ cum gallicum & germanicũ ingens præſidiũ Veronã ueniſſet, neq; amplius uideretur tutum fore, ſi Veneti loco maneãt, illi protinus abierũt ad oppidum Bonifacii, atq; inde Veneta caſtra mota ſunt uerſus Ferrariam, ut ſemper ſubſidio eſſent Pontificis exercitui qui ad duodecim millia hominũ erat, & ui capta ciuitate Mirandula parte altera uſq; ad Bondenũ oppidũ uenit. Sicut & parte altera Veneti milites profecti ex rhodigiana polleſino cum padana claſſe uſq; ad Caſtrũnouum acriter in hoſtes ibãt. Igitur utrobiq; hoſtibus oĩa infeſta reddebãtur, ut illi q ad duo millia hominũ erant diffiſi ſint, ſub dio amplius ſtare & Ferrariæ morabantur, tuebanturq; ſe prout poterant, modo ſtando, modo hoſtibus obuiã eundo. Sicut & nuper contigit cum forte Veneti in Ferrarienſe ſolum prædatum iniſſent. Ferrarienſes triginta equites illis facti obuiam ſunt, ut eos allicerẽt ad locum, ubi plures poſiti erant in inſidiis. Et quia Veneti temere præcipitarũt in inſidiis, illi ſtatim ultra amnẽ fuſi fugatiq; ſunt. Sed cum Mutina iterum deſciuiſſet ad gallos, & propterea paululum copiæ Pontificis receſſiſſent, Dux Ferrariæ liber ea moleſtia medita

batur nocte illa quæ calendas ſeptembris ſecuta eſt, cum mille equitibus, & duobus millibus peditum incautos Venetos aggredi, qui ultra Padum ad Piloſellam morabantur. Sed tantum abfuit, ut anteq̃ fieret, omnia Venetis relata ſint, & illi ideo ſemper armati totam illam noctem inſomnem duxere, cumq; illuceſcente iam die uiderentur hoſtes protinus uelle amnẽ traiicere, Veneti milites ſimul cum padana claſſe ſtatim in pacatũ abiere, & ad rhodigii peninſulã reuerſi ſunt. Igitur quia apud Ferrariã in incerto res erat, & multũ rei agendæ acceſſurum credebatur, ſi Pontifex Bononiã ueniat ipſe itidem conſtituit facere, & obiter hiſpanos quadringentos milites ſub duce Fabritio columna ingens ſupplementũ exercitui mittere. Illud autem præſertim curabatur, ut primo quoq; tempore Marchio Mantuæ Venetorũ imperator exercitus contra Ferrariã in expeditionẽ exiret, atq; ad eam rem amplæ conditiones proponebantur, & ille ſemper excipiẽdo duriuſculus erat. Vſq; adeo in Ferrariã oculi omniũ conuerſi ſunt, ut non aliter Florentini Senenſes & Lucẽſes in partes Põtificis cẽſendi uiderẽtur, niſi ea res ſuccedat ex ſentẽtia. Cæterũ factu difficile uidebatur, tum quia populus Duci fidiſſimus eſſet, tum quia galli trecenti milites, & mercenarii pedites fortiter hoſtibus obſiſtebant, & nihil dubitare uidebantur. Atq; iccirco re infecta caſtra Põtificis mota ſunt, & ſita iuxta caſtellũ Agathenſe, ut ſemper auxilio eſſe poſſent Bononiæ ſimul

& Mutinæ, quæ nuper deditiõe recepta fuerat. Inde uero Dux Ferrariæ illud pſertim cauebat, ne claſſes Venetæ aliquo pacto obeſſe poſſent. Nãq; duæ claſſes nuper immiſſæ fuerãt Pontificis copiis ingẽs ſubſidium, altera conſtans duabus triremibus, totidẽ biremibus, multiſq; cymbis prædatoriis p padi hoſtiũ Primariũ, quo aditur ciuitas Argenta, altera ſimiliter conſtans biremibus, gã ʒariolis, lembis, & minoribus nauigiis, per padi hoſtium Fornacenſe, quo petuntur Venetiæ. Nuper uero Dux Ferrariæ plus ſolito arma expedire, bellũ parare, pedites tota urbe uicatim adſcribere. Quibus omnibus cõpoſitis ex ſententia claſſem Venetam, & rhodigii peninſulam uelle aggredi uidebatur. Nãq; eam expeditionem animo aduertebat factu facilem fore, quia pauci quadringenti leuites, & centũ quinquaginta pedites præſidio ſtabant, & illi etiam ſine ordine, ſine imperio palantes erant, & ideo cum primũ nunciatũ eſſet hoſtem aduẽtare, facile Veneti omnes in fugam conuerſi ſunt, & ſimul ac altera, quæ apud Arii locum erat diſiecta claſſis eſt, altera cum duce ſuo Marcoãtonio cõtareno, quæ apud Piloſellã erat, fruſtra tentauit iter facere per proximũ riuulum, qua itur in amnem Atheſim, quia nimia erat aquarũ penuria. Vnde cum regredi neceſſe eſſet, hoſtes facti obuiam ſunt, & deide tormẽtis militiæ padana claſſis adeo quaſſabatur, ut deniq; Veneti coacti ſint uix cum bellicis tormentis Rhodigium impune aufugere, & totam claſſem in hoſtiũ

poteſtatē deſerere. Equites quoq; & pedites cum nequirent obſiſtere ueniētibus hoſtibus trecentis militibus, totidem leuitibus, & duobus millibus peditū, ſimiliter Rhodigiū abiere, atq; inde oēs Mōtagnanā oppidum profecti ſunt, quo paulopoſt & Venetorum omnis exercitus uenit, & recepta iterum eſt Rhodigiana polleſinus, quæ paulo ante ad hoſtes deſciuerat. Quoniam uero galli hoſtes quinquaginta milites, centum arcigeri, & trecenti pedites Montagnanam uerſus ex Lemniaco in expeditionem exiſſēt repente cum Veneto equitatu contra illos ibatur, & iam Ioannes fortis hoſtes antenenerat ad pontē quem ſtatim fregit, & ſuper itinere arbores trāſuerſos poſuit, ne hoſtes poſſent flumen traiicere & feſtinare. Illi tamen poſthabitis omnibus ſatis cito uenerūt Bibaquiam ubi conſertum præliū eſt, & primo quidem tormentis militiæ agebatur, poſtea miſſilibus telis & enſe uulnifico certamen fuit, multi utrinq; ſauciabantur, multi hinc inde cadebant, nihil ab utriſq; prætermittebatur quod facto opus eſſet, nusquam tamen adhuc inclinabat uictoria, donec Venetis ingens ſubſidium uenit. Nāq; deinde hoſtes a frōte, a tergo, & a lateribus circūuenti ſunt, et apud Venetos ſtetit non incruenta uictoria, quia Venetorū multi ſaucii et nōnulli etiam periere, ſed hoſtiū omnes aut cæſi aut capti ſunt, atq; ita hoſtibus præter ſpem euenit, ut ſæpe ſolet illis accidere, qui temere ad uictoriam contendunt. Interea uero galli fruſtra conabātur Pō-

tificem in ſuas partes diducere, & quid alioquin pa-rum proficerent, bello etiam tentare auſi ſunt. Et nu-per ad eam rem uerſus Ferrariã & Bononiã magnis itineribus ibatur. Et quidem ea magna uis erat, quia Magnus magiſter cum duo de triginta millibus homi-num uenit, & fratres Bentiuoli cũ octingentis equi-tibus, & tribus millibus peditũ, atq; amplius Cardi-nalis Ferrariæ cũ quattuor millibus peditũ piſtorie-ſium. Vẽtum erat ad Carpũ oppidum, & primo tor-mentis militiæ acriter agebatur, deinde tantis uiri-bus cõſertum prælium eſt, ut facile hoſtes uicti ſint, & ui capto oppido omnia prædæ militibus fuere. Poſtea contra Mutinã ciuitatẽ ibatur, ſed copiæ Põ-tificis urbem anteuenerãt quingenti milites & ſeptẽ millia peditum. Igitur galli propterea in Centũ op-pidum conuerſi ſunt, & quia oppidani acriter hoſti-bus obuiam ibant, & nũq; uoluerũt deditionẽ facere cum primũ ui captum oppidum in hoſtium poteſtatẽ uenit, crudeliter in eos ſæuitũ eſt, & omnia prædæ militibus conceſſa ſunt. Atq; amplius iungendi ſe Põ-tificis copiis demptũ iter Venetis uidebatur, qui ſub Paulo capello altero legato in caſtris trecẽti milites, duo millia leuitũ, & quattuor millia peditum iãpri-dem ad Stellatenſe oppidũ uenerant, & ire feſtinabãt uerſus Bononiã. Et quidẽ patebat uia facilis, quia ex Cento ad Bondenũ decem millium paſſuũ iter eſt, ex quo Stellatenſe oppidum diſtat nõ amplius quattuor millibus paſſuũ. Aliter dum Marchio Mantuæ cau-

ſando aliquid ſemꝑ differt Imperator in caſtris ac-
cedere, ita Venetis præcluſum iter eſt, & uires ſe
iunctæ longe minores habebantur. Vſq; adeo Dux
Ferrariæ nuper auſus eſt Venetis infeſtus eſſe, & ad
Bondenū uenit cum quadringētis militibus, octingē-
tis leuitibus, & tribus millibus peditum, atq; inde
parabatur aduerſus Stellatēſe oppidum in expeditio-
nem exire. Sed adhuc tantum miſſilibus telis et tor-
mentis militiæ res erat, & identidem parte altera
fluminis ſuꝑ Ferrariæ polleſino frequēter hoſtes ap-
parebant, & duæ triremes citro ultroq; meabant,
atq; locis omnibus tormentis militiæ pariter ageba-
tur. Et tamen Ioannes maurus præfectus claſſis pa-
danæ non dubitauit aduerſo flumine lembus, & mi-
nora nauigia in Padum ſubuehere per amnem Athe-
ſim, quoniam propter munimenta et opera hoſtiū, per
Padū nihil poßet fœliciter attentari. Et quāuis hoſtes
quantū poterant tormentis militiæ uetaſſent, impune
tamen applicuit ingens ſupplementū exercitui, necnō
poſtridie & Marchio Mantuæ tandem Sermenium
oppidum uenit cum tanta quanta dici poteſt omniū
ſumma lætitia, quia facile dabatur intelligi, ſi modo
in propoſito ſtaretur, rebus Pōtificiis & Venetis illā
diem optimarū rerum principium fore. Dum ea uero
apud Ferrariam geruntur Pontifex Iulius Bononiæ
ægrotabat, & miſer diſcrutiabatur animi, quia galli
hoſtes cum Bētiuolis, nuper ui capto oppido Spilim-
bergio feſtinabant uerſus Bononiā, neq; exercitus Pō-

tificis poterat ſuppetere, quia ex Mutina occluſum iter erat, & Fabricius columna cum ſubſidio diſtabat adhuc ſex dierum itinere, Venetorũq́ copiæ nõdum Padum traiecerãt, quia Marchio Mantuæ ſemper differebat in aliud tempus accedere, & quod peius erat Bononiẽſes ꝓpter malum regimen Eccleſiæ uidebantur ſpectare ad Bentiuolos, qui nuper etiam auſi ſunt, uſq; Bononiã cũ leuitibus accurrere. Cardinales etiam quinq; qui a Pontifice deſciuerant, ex Florentia Genuã ibant, quod in ſchiſma & magnũ malum eccleſiæ conuerti poterat. Accedebat Pontificis febris aucta iſtis anguſtiis, et peior febre gallica frequens inſinuatio, & pacis conditiones propoſitæ, ut deniq; Venetis oratoribus Dominico triuiſano, & Leonardo Mocenico patri meo, qui nuper eo uenerant Pontifex frequenter diceret ſe Venetos relictũ iri, niſi copiæ Venetæ poſtera die idibus octobris Padum amnem traiiciant, & Bononiã feſtinẽt. Ille enim preſſus tãtis ãguſtiis facile uidebatur ad gallos uelle deſciſcere, et ſi non neſcius eſſet gallis hærere periculoſum fore, adeo ſemper de futuris ſperamus, quando præſens periculum uitare poſſumus. Sed cum primũ Federicus contarenus & Clapinus uitellus cum ſexcentis Venetis leuitibus ad diem conſtitutã Bononiã ſubſidio ueniſſent, Pontifex reſpirare uiſus eſt, & ſe Venetis nunq̃ defuturum aiebat, atq́ obiter ut omnis timor & ſuſpitio tollatur, ſtatim iubet oratores germaniæ hiſpaniæ et angliæ in caſtra hoſtium pro

xima ad duo millia paſſuũ ire & iubere, ut ſe poſt-
hac abſtineãt a talibus, quæ fieri contra uoluntatem
ſuorum Regum conquerebãtur, & ipſi etiam ægre-
ferre uidebantur. Nihilominus Marcus antonius co-
lumna cui demandatũ negocium erat urbis tuendæ
cum centum militibus, quadringentis leuitibus, &
quattuor millibus peditum, primo quoq; tempore ar-
ma expedire, bellum parare, urbẽ munire, cuſtodias
locare, pſidia diſtribuere, & omnia facere quæ uſui
ſunt. Pari modo ciues & populares bononiæ ſedulo
præ mœnibus ſtare, & opa militiæ facere, ut liqui-
do pateret erga bentiuolos qui fauor ciuitatis erat pe-
nitus ceſſare, dum illi Gallorum auxiliis utũtur. Ve-
rum quia ſanæ mentis eſt ſemper mutare incerta pro
certis, Pontifex malebat ſine incerto bello hoſtes im
pune diſcedere, atq; ad eam rem iterũ profecti ſunt
noctu in caſtra hoſtium qui prius iuerant Regũ ora-
tores, & cum bonis uerbis illud nequirẽt impetrare,
Anglus orator conuerſus ad iram eo maxime monit
gallos Eccleſiaſtico ſolo confeſtim cedere, quod aiebat
aliter fore, ut Regis gallorũ cum Rege angliæ initũ
fœdus prorſus irritum haberetur. Interea uero nunq̃
ceſſatum eſt cum Marchione Mantuæ ſemper agere,
ut primo quoq; tempore in expeditionem exiret, &
tandem ille Mutinã ire conſtituit cum quingẽtis mi-
litibus, mille ſexcẽtis leuitibus, et quinq; millibus pe-
ditum. Et propterea claſſi padanæ cõſultũ fore uide-
batur ſi protinus per Piloſellã fluuiũ in pacatũ abiiſ-

ſet. Sed aliter uſuuenit, quia cum eo iuiſſent quiqua-ginta cymbæ prædatoriæ Ferrarienſium tormentis militiæ octo earum ſummerſæ ſunt, quo experimento periculũ edocti Veneti ad Caſtrũnouũ totam claſſẽ ex Pado flumine tutiſſime traiecerũt in proximã fo-ueam, quæ ducit in Tartarũ & in amnem Atheſim, & deinde parte alia cum toto exercitu uerſus oppidũ Finarium ibatur. Cæterũ Marchio Mantuæ cõfeſtim diuertit ad uillã Felonegã ſitam tribus millibus paſ-ſuum ſupra Sermenium, aiebat enim aliter facere pe-riculoſum fore, quia quorſum ibatur ferrarienſes locũ anteuenerant cum quinquaginta tormentis militiæ, & iam cõplanatis itineribus uolebant cum Venetis confligere, quæ omnia ficta dolo malo poſtea per ex-ploratores cõperta ſunt. Ibatur tamen die quoq; po-ſtera morando, et cum primũ ad Biuium uentũ eſſet, tunc Marchio Mantuæ hac inquit ſuper ſolum Man-tuæ noſtrum iter eſt, & illac ueſtrum, ſuper ſolum ini-micum Mirãdulæ, quod ſi uos uſq; nocte iſta hoſtes aggreſſuri uiderentur, tormentis militiæ cõmonefa-cite & ſtatim adero, quia apud uillã Stopiariũ ſtabo, & uos apud Fœlicianũ ſtate, ſic fatus in uerbo torſit ueſtigia. Veneti per ſolum hoſtile ſub cælo pluuioſo & tenebroſo Bellaerem oppidũ uenerunt, non quidem parum ueriti Marchionis Mãtuæ ſuſpitioſa facinora, quinimmo & cuncti milites de ipſo conquerebãtur, & putabãt ſe duci deinduſtria per non tuta itinera, ut prædæ hoſtium militibus forent, atq; icciirco po-

ſtea ne illis uſq; inter eundũ cum hoſtibus res eſſet, magnis itineribus uſq; Mutinã profecti ſunt. Quod cum Marchio Mantuæ cognouiſſet ualde ægretulit, & protinus Fœlicianum uenit, quaſi Mutinam uellet accedere. Sed tantũ abfuit, ut ille potius repedaret in patriam, quaſi oporteret tueri propria, quia per eos dies galli hoſtes ex Verona ſolum Mantuæ prædati ſunt. Per idem tempus Venetis rerum bene gerendarum oblata occaſio uidebatur, quia Dux tremulus cum quadringentis hiſpanis militibus, & quingentis celtiberis peditibus, ex Verona Neapolim uenit, ut prouinciã tutaretur aduerſus Turcas, qui cum claſſe quattuor triremiũ, quinq; biremiũ, & duodecim uniremium ad Hydruntũ & Tarentũ uenerant. Igitur Veneti primo quoq; tempore feſtinare, parare commeatum, milites adſcribere, & agricolas paſſim concire. Itumq; eſt maioribus animis quam uiribus, quia ſolũmodo quingẽti milites, octingenti leuites, & quattuor millia peditum erant, & contra hoſtes Veronæ præſidio ſtabãt trecenti quinquaginta milites, et duo millia peditum. Accedebat impetuoſa pluuia, quæ inacceſſum iter reddebat, & uetabat Venetos ſimul ac ad fanum Martini ueniſſent, propius urbem ut par erat accelerare, & amplius hoſtes ea occaſione uſi ſunt, arma expedire, urbẽ munire, factioſos expellere, feſtinare, parare, facere omnia utilia. Adeo ſemp etiã oportet rationẽ temporũ habere, ne merito id omne irritum fiat, quod temere alioquin onus ſuſcipitur.

Ventum erat a Venetis uſq; ad fanum Martini, & hoſtes confeſtim combuſerunt ſuburbia, ne uenientibus ad urbem, uſq; eſſent tegumenta, & tuta receptacula cũ præſertim graue uideretur fore, ſub dio pluuioſo perſiſtere. Sed quia paulopoſt hoſtibus ingens ſupplementum uenit, ipſi extra urbem locum caſtris elegere, & Veneti compulſi ſunt ad locum Cuchæ recedere, quia nimia erat penuria cõmeatuũ, quatenus aſportari in caſtra non poterant propter ingentem uim aquarũ, quæ ſuper pontes etiam fluebant. Vnde eadem de cauſa poſtea Montagnanã iterum receſſũ eſt, & deinde contra Ferrariã ibatur. Dux autẽ Ferrariæ anteq; futura obſidio contingat, plus ſolito urbem munibat, & accerſcebat paſſim præſidia. Et nuper quidem hoſtes quingenti ſupra duo millia peditũ ex padana ripa ad Brixellum oram ſoluerant & eo facile nauigaſſent, niſi Marchio Mantuæ iter impediat ad Hoſtiam & Sermeniũ præſidia locet et tormenta militiæ, qua difficultate moti illi pedites terreſtre iter tenebant uerſus ciuitatem Mirandulã neſcii dum uitẽt Charybdim, incidendi in Scyllam periculum ſubire. Nãq; & parte alia Venetorum ala equitum, & acies peditum eis obuiam ibat, ſimul ac Paulus capellus Saxolo ui capto oppido uſq; Ronchaiã uillam ueniſſet prope ciuitatẽ Mirandulã, quã paulopoſt copiæ Venetæ & Pontificiæ parabãt acriter oppugnare. Ille enim non ignarus eorum quæ fiebant, quanto maxime potuit rerum bene gerendarũ

ea occaſione uſus eſt, quāuis præter ſpem euenit, quia illi caute profecti per occulta & inſueta itinera impune Ferrariā uenerunt. Dum uero ea foris & militiæ geruntur, domi & Bononiæ de pace cum gallis frequēter agebatur, & quia ea omnia fruſtra fiebāt, deniq; apud Tros ciuitatē galliæ decretū eſt contra Pōtificem concilium celebrare, ſimul ac etiam Cardinales exiticii eius rei auctores fuerunt. Sed apud Lugdunū cum oratore hiſpano & germano oratore gurgenſe Epiſcopo fruſtra actum eſt in Pontificem & in Venetos amplæ conditiones propoſitæ, quibus dabatur Regi hiſpaniæ Cyprus, Creta, Corcyra, & Venetiæ. Regi romanorū Vincētia, Forūiulii, Tauriſiū, Patauium, & Mantua. Regi gallorum Luca, Sena, et Florentia. Nāq; & Regi hiſpaniæ ſuſpecta erat Regis gallorum tāta dominādi libido inexauſta, cui niſi tempeſtiue occurratur, putabat eam ſibi quoq; periculoſam fore. Adeo plus habendo ſemper ea intenditur, quæ a Rege Nino cæteris nationibus dominādi cupiditas orta eſt. Atq; ideo hiſpani declinabant ad Pontificem & Venetos, & eos ad conciliandos cum Rege romanorū Epiſcopū gurgenſem ſedulo Bononiam accerſcebāt. Anglus autem orator quia per idem tēpus fœdus initum inter anglos et gallos, ut ſuū robur haberet per Pontificem firmandum ueniſſet, & illud fieri non poſset, quia galli Pontifici etiam bellum intulerant. Ille opportune ea occaſione uſus eſt, & Pōtificem cum Rege ſuo & Venetis in nouum fœdus hortabatur,

hortabatur, ut teneretur Rex angliæ ad recuperandam Vaſconiã gallis bellũ inferre, oporteretq; Pontificis et Venetorũ copias in caſtris eſſe, ad duo millia militum, & decem millia peditum. Sed iſtud Pontifici factu difficile uidebatur propter auaritiam, qua ſemper nimiũ tenebatur. Non deſiſtebant tamen oratores ſemper agere de bello aduerſus Regem gallorum, quia eius immodicas regnãdi cupidines, ea uia ſolũmodo putabant poſſe cõpeſcere. Et nuper etiã undecim Oratores heluetii ad eandem rem Bononiam uenerunt & cõuenerũt cum Pontifice. Pontifex quoq; poſthabito bello cũ Alphonſo Duce Ferrariæ ad Cõcordiam ſpectabat, quandoquidẽ per Ludouicũ carpinatem amplæ conditiones proponebantur. Et quis illæ ut euentus docuit, remoraturæ, fictæ, & fraudolentæ eſsent, merito tamen mouebant Pontificem. Sed illud magis, quia Dux Vrbinas nepos Pontificis præpoſitus exercitui rebus gallicis magis q̃ Pontificis aperte ſtudere uidebatur, ſemp morãdo, & differendo in aliud tempus facere, dum rebus agendis celeritate opus eſt. Aliter Paulus capellus cum Veneto exercitu anteuenit ad ciuitatem Concordiã ſitam iuxta amnem Sechiam, et protinus expulſis hoſtibus cepit ſuburbia, deinde admouit urbi tormenta militiæ, & cum magna pars muri procubuiſſet, conſertum prælium eſt, quod diu anceps & atrox fuit. Veneti ſumma ope nitebãtur per ruinas muri in urbem ire. Cõtra hoſtes octingenti pedites pro uiribus

obuiam ibant, & cum Veneti pedites munimenta ſu-
peraſſent, ſtatim ſuppoſito igne, eos hoſtis ſummouit,
multi Venetorum combuſti ſunt, reliqui non integri
ceciderunt in foueam. Redintegratum tamen prœliũ
eſt maioribus animis & uiribus, deniq; hoſtes uicti
fuſiq; ſunt, & capta urbe omnia prædæ militibus
fuere. Deinde fœliciter etiam geſta res eſt cum gallis
hoſtibus, qui exercitui præſtites erant apud Pala-
tium, quod prope oppidum Carpum eſt. Nãq; Veneti
illos repente aggreſſi ſunt, & hoſtium tanta trepida-
tio fuit, ut illi fuſi fugatiq; uſq; ad Parmam ciuitatẽ
abierint. Eo rerum ſucceſſu Veneti uidebantur ciui-
tatem Mirandulam poſſe capere, niſi Dux Vrbinas
dolo malo ſemper prohibeat, ex quo Põtifex animad-
uertit, ſi ipſe interſit rei agendæ multũ acceſſurum,
& ideo Fœlicianum uenit Ducem Vrbinatem exau-
thorare, res omnes componere, & expeditionem in
urbem Mirandulam feſtinare. Igitur eo auctore pro-
pe urbem admotæ uineæ ſunt & tormenta militiæ
ducti aggeres, compacta munimenta, deniq; noctu,
& interdiu acriter urbis mœnia quaſſabantur, &
cum magna pars muri procubuiſſet, prælium conſeri
parabatur, quod oppidani ueriti ne fiat, ſummo mane
Pontificem adierunt in caſtra ueniam petere, pacem
implorare, & quibuſlibet conditionibus urbem tra-
dere. Sic capta deditione ciuitas eſt dum Pontifex
Iulius incumbit operi, quamuis niuoſum tempus &
ipſe ſemiæger adhuc eſſet. Habita ciuitate Mirãdula

conſultabatur identidem prout eundum eſſet contra Ferrariam. Nãq; galli cum duce Magno magiſtro & Ioãne Iacobo triultio ſociisq; Bẽtiuolis apud Parmã urbem ea ratione bellũ moliebãtur, ut Pontificis copiis repẽte obuiam eant, & copiã pugnãdi faciãt, aut traiecto Pado flumine ſimiliter aggrediãtur exercitum Venetũ, q cũ Andrea Gritto apud Abbatiã oppidum morabatur, aut etiã diuertẽdi gratia aduerſus Mutinã & Bononiã in expeditionẽ exeant, quæ omnia cũ eſſent Pontifici relata, ille ſtatim iubet omnem exercitũ duci ad Bõdenũ & Finariũ, ut Mutinæ & Bononiæ ſemper auxilio eſſe poſſit, & parte alia identidem qua Padus amnis in duas partes ſcinditur utrinq; Ferrarienſem polleſinũ põte iungere, ut Põtificiis & Venetis in omnẽ euentũ cõmeandi ſemp facultas eſſet. Cõtra galli hoſtes uetabãt, ne aliquo pacto tales exercitus iungi poſſent, & parte altera ex Verona profecti ſunt uſq; Suauiũ cũ manu p̃datoria ad quinq; millia hominũ, ut Veneti neceſſe haberent ſuccurrere, q apud Abbatiã erant, ſimulq; parte altera galli hoſtes mille quadringenti milites et decem millia pedit ũ, repẽte traiecerãt amnẽ Sechiã, & uidebantur caſtra Pontificis potius q̃ oppida aggredi uelle. Igitur iterũ apud Põtificẽ in cõſultatione poſita res eſt, declinatũq; ad partẽ tutiorẽ et itum eſt ultra amnem Panarũ ad Centũ oppidũ, ubi pro antemurali flumen habebatur, ſimulq; datũ negociũ eſt Oratori germaniæ Mutinã ire, & pro Rege Maximiliano eã

tenere, quæ ad Imperiū ſpectare uidebatur. Veneti uero trecenti milites, mille leuites, & totidē pedites, qui ad Ficaroliū ulteriorē Padi ripā cuſtodibant, ſimiliter coacti ſunt protinus loco cedere, ſimul ac hoſtes cum parte copiarū ad Reuere oppidū ueniſſent, & pararent ad Hoſtiliā padū traiicere, quod ſi inde ſe iungāt copiis, quæ apud Ferrariā Lenniacū et Veronam erāt, maius etiam periculū exercitui Veneto imminere uidebatur, atq; eo maxime, quod Marchio Mātuæ iam tum aperte ad gallos deſciuerat. Igitur Veneti feſtinare, parare, accerſcere milites, qui apud Suauiū, Coloniā, & Leonicū erant, ut cōfeſtim Montagnanā ueniant, & eo deferāt cuncta impedimenta, quæ inde ſecundo flumine ad Ateſte oppidū trāſmittantur. Deniq; iubēt copias omnes ſemp in procinctu ſtare, ut dum expedit, cito poſſint in pacatum abire, ſicut & poſtea factū eſt, & diſtributis cuſtodiis ad Rhodigii peninſulā, iterū ad Mōtagnanā omnis exercitus uenit. Sed cum paulopoſt rumor increbreſceret Regem gallorū grauē ægritudinē pati, & heluetios iterū in Italiā deſcendere, gallorū hoſtiū caſtra uerſus Parmā repente mota ſunt, & hinc ab exercitu Pōtificis ad Finariū, illinc a uenetis copiis ad Ficaroliū contra Ferrariā iterum in expeditionē ibatur, ſimul ac diſtribuiſſent iterū præſidia, ducētos leuites apud Suauiū, apud Leonicū totidem, & quingētos equites apud Coloniā, ut ſemper auxilio eſſent agricolis, qui paſſim alioquin moliebātur aufugere, propterea quia

hoſtes frequẽter ex Verona totam regionẽ prædabã-
tur. Parte quoq; alia ꝑ padi hoſtiũ Primariũ aduerſo
flumine Ioannes maurus cũ claſſe padana tredecim
triremiũ, lemborũ, & minorũ nauigiorũ pluriũ, prope
propugnaculũ Coloniæ ſtatim uenit, ſimul ac etiã e
Pontificio & Veneto exercitu cẽtũ leuites, & octin-
genti pedites, locum obſederant & cœperant oppu-
gnare cum ſuo magno malo. Nãq; dum illuc e Fer-
raria quinq; horarum ſolummodo iter eſt, Dux ipſe
repente illis obuiã uenit cũ trecentis militibus, octin-
gentis leuitibus, & tribus millibus peditum. Et quidẽ
equites per cõtinẽtem ibant, & pedites tribus trire-
mibus, & aliis nauigiis ſecundo flumine uehebantur.
Itaq; confeſtim acies iunctæ ſunt, & conſertũ præliũ
atrox. Equites.n. Veneti quorũ Ioãnes fortis dux erat
fortiter in hoſtes agebant, ut illi aliquãdo cedere uiſi
ſint. Aliter pedites nunq̃ manſerunt in officio, unde
Pontificii & Veneti tãdem coacti ſunt terga uertere
& propriæ ſaluti effuſa fuga cõſulere, multi cæſi ſunt
multi cõtriti bellicis tormentis, pauci integri amiſſis
impedimentis omnibus in pacatũ abiere Fauentiam,
ubi etiam ualde tumultuatũ & trepidatum eſt. Nãq;
putabant gallos eo ſucceſſu Panarum amnẽ uelle iterũ
traiicere, & exercitũ Pontificis inuadere. Adeo ſemꝑ
cũ infœliciter geſta res eſt, timere ſapiẽtis eſt & ca-
uere, ne aliquid mali eueniat, deniq; ea omnia cõie-
ctari probe, de q̃bus habẽda fides eſt. Et bene quidẽ
inde conſultũ fuit, ad Stellatenſe & Sermeniũ oppi-

dum hoſtẽ anteuenire, ne galli iungi poſsent copiis, quæ Ferrariæ morabãtur. Sed parũ prodeſt bonum conſiliũ, niſi mature fiat quod oportet facere. Stabat ergo alioquin Pontificis omnis exercitus ad Finariũ, quoniã hoſtes ad Stellatẽſe oppidũ anteuenerãt arma expedire, copias accerſcere ex Verona & Lenniaco padũ pontẽ iungere, & meditari primo quoq; tẽpore cũ hoſtibus manũ cõſerere. Et quidẽ nup parũ ceſſit ex ſententia noſtris eqtibus, qui uiſum ibãt quid hoſtes agant. Nãq; Leonardus hieroſolymitanus eques cui tale negociũ demandatũ fuerat, dum inter eundũ ad Palatiũ quod Bellaerẽ appellãt, eqtes alios expectat. Ecce dominus Paliſeus cum trecẽtis gallis militibus, & ſexcentis leuitibus eo ſtatim uenit, ad quos relata res erat, deide certamẽ fuit ad fores Palatii, dũ noſtri molirentur aufugere. Et multi quidẽ e manibus hoſtiũ dilapſi ſunt, ut parũ actum uideri poſset, niſi Leonardus hieroſolymitanus eques in hoſtiũ poteſtatem ueniſſet, ſimul ac uulneribus cõfoſſus eſt, et paulopoſt etiam interiit uir ille nõ minus ſapiẽs q̃ fortis, & de republica benemeritus, ſicut in æde Ioannis Pauli erecta eius monimenta præferũt. Adeo ſemper æquũ eſt eorũ hominũ rerum geſtarũ memoriã longam eſſe, quorũ militari fortitudine uita breuior fuit. Nihilominus in Pado Ferrariẽſes Venetorũ claſsẽ padanã propulere, nãq; illi cũ grauiori claſse altera triremiũ & uniremiũ ex Ferraria, et ex oppido Comaclo cum leuiori claſse lemborũ altera, Venetis obuiã

ibant. Igitur primo p grauiorē claſſē cum claſſe Veneta geſta res eſt, & cum ſemp pugnādo ad Alberti fanū ueniſſent, tunc claſſis altera apparuit, ex palude Comaclia, & parabat Venetis iter occludere. Sed Veneti poſtq̄ imminēs periculū uident, ſtatim in altū & in portū Rauennæ e manibus hoſtiū dilapſi ſunt. Parte quoq; alia mille equites hoſtiū, & quingēti ſupra duo millia peditū traiecto Pado ad Ficarolium uſq; ad ſtationes Venetorū & ad Rhodigianā polleſinum uenire & tentare auſi ſunt, ſi poſſēt locū Treſenſæ Candæ & caſtellū Vielmiū e manibus Venetorū eripe. Sed ea expeditio minus proſpera fuit, quia a Venetis acriter obſiſtēdo loco permanſum eſt, & illi āplius uiſi ſunt ſemp ituri obuiā hoſtibus, quotiēs eis copia pugnādi fiat. Igitur cum ea uia grauior uideretur, iterū traiecto Pado ad Stellatenſe oppidū ceptum eſt exercitū Pōtificis ad Bōdenū uexare, datūq; negociū eſt Duci Ferrariæ, ut cū copiis ſup ferrariēſi polleſino e regione ad Bondenū eat, oppidūq; tormētis militiæ cōcutiat, & ſi Pōtificii gallis obuiā eant, q ex Stellatēſi oppido ad oppugnandū ibāt, Ferrarienſes eos idētidē a lateribus tormētis bellicis impetāt. Iam uero gallorū ducēti equites ad primas ſtationes hoſtiū anteuenerāt, ubi præliū conſertū eſt, uidebāturq; galli primo cedere. Sed ſubeūtibus a tergo gallis peditibus, qui ſup duas cymbas per amnē Panarū clanculū uenerāt, redintegratū præliū eſt, non tamē illud diutinū fuit, q̄a copiæ Pōtificis ſemp maiores ſubibāt

& demũ hoſtes impares expulſi ſunt. Itaq; aliquãtũ audacia gallorũ cõpreſſa eſt, quæ alioqn nimiũ formidoloſa uidebatur, dũ illi oia ptentãt capere, & in ſuã poteſtatẽ redigere. Accedebat ad hæc, ꝙ res Veneta cũ Rege romanorũ ad cõcordiã ſpectare uidebatur, quia Gurgẽſis Epiſcopus Bononiæ Põtificẽ cõuenit, & diu egit de pace cũ Venetis. Sed tum quia cõditiões iniquæ ꝓponebãtur, tũ quia ſup Aquileiẽſi præſulatu parũ conuentũ eſt, deniq; re infecta Gurgẽſis Mutinã abiit, unde nunitando põtifici et Venetis in germaniã reuerſus eſt. Quod ſi cũ ſolo Patauiũ & Taruiſiũ Venetis reliqſſet, proculdubio Põtifex uoluiſſet, quia ita fore litteras Gurgẽſi dederat, anteq̃ Bononiã ueniſſet & obiter uolebat pecuniis parcere, quorũ ſtudio maxime tenebatur, & uetare cõciliũ, quod cõtra ſe fieri parabatur. Cæterũ cum aliter eueniſſet Põtifex ſimul cũ Venetis arma expedire, claſsẽ parare, ſupplementũ exercitui mittere, e ſupiori germania heluetios adſcribere, ex Pelopõneſo eqtes ſtratiotas pileatos haſtatos accerſcere, & demũ oĩa facere quæ uſui forẽt, ut poſsent indignatiis hoſtibus obſiſtere. Hoſtes uero ſimiliter copiis aucti ſunt ex Verona & Lẽniaco, & rati agendĩ uiribus ad oppugnãdũ ciuitatẽ Cõcordiã prexere, & primo impetu tormẽtis militiæ repulerunt hoſtes e ſtationibus, deinde facile in ciuitatẽ itũ et ſæuitũ eſt, atq; oia ꝑdæ militibus fuere. Et ãplius cũ Põtificii et Veneti obuiã hoſtibus ueniſſent ipſorũ diſturbatis ordinibus, Dux Ioãnes Paulus manfronus

cū aliq̄bus aliis in hoſtiū poteſtatē uenit. Quibus geſtis ad Bonūportū ſitū iuxta amnē Panarū hoſtes ituri uidebātur, niſi Pōtificii & Veneti locū protinus antecapiāt, quia locus ille ꝑꝑ amnē tutiſſimus uiſus eſt, ꝑpinquus ciuitati Mirādulæ, ꝗ̄ caſtro Fœlicio, & urbi Bononiæ. Cū uero hoſtes ſtatim etiā e regiōe ad eundem locūueniſſēt, primo quoq; tēpore flumine intermedio tormētis militiæ acriter agebatur. Sed Pōtificii & Veneti fruſtra trāſitū uetabāt, q̄a hoſtiū plura opera & uaſtatores erāt, et ideo paulopoſt ſolūmodo expectabatur partē hoſtiū quā inuadāt amnē traiicere. Sed tantū abfuit, ut hoſtes potius uerſus montes digreſſi ſint. Igitur ſuꝑ aggeres fluminis utriq; iterū ibatur, & uiciſſim agebatur cū magna cæde, miſſilibus telis, & tormentis militiæ, uſq; quo uentū eſt ad Caſtrūfrancum, ubi Pōtificii & Veneti caſtrametati ſunt. Hoſtes autē ſuꝑius amnē uadati prope Pōtificios et Venetos ad tria millia paſſuū locū caſtris elegere et uiſi ſunt ſtatim uelle cōfligere. Aliter poſtea uerſus montē ibāt cū impedimētis uelociter, & milites paulatim incedebāt, uidebāturq; uelle pontē Rheni fluminis antecapere, quod iter facere Pōtificii et Veneti ꝑꝑ cōmoditatē loci idētidē aggreſſi ſunt, & quia hoſtibus relata res eſt, deinde utrinq; ſub ordinibus militiæ ſtabatur, donec adueſꝑaſceret. Poſtea Pōtificii et Veneti ſub multa pluuia noctis ſilētio ad Pōtē Rheni ꝑfecti ſunt, & inter urbē Bononiā, & montē ꝓximū ſtetere, loco ſatis tuto, niſi Bononiēſes, et mōticolæ re

nouas molirētur. Et q̄dē probe ſuſpicari antepoterāt, niſi frequēter hūana læua mēs eſſet, et qcq̄d uult facile inducit animū credere. Itaq; nup temere creditum eſt, Bononiēſes māſuros in fide, dū ipſi pollicētur ita ꝑpterea fore, & tamē noluerūt alioqn Ramazotum cū mille peditibus in ciuitatē recipe, quia ad defectionē ſpectabāt. Quod ſi tēpeſtiue etiā ſcitū eſſet, oēs incolumes abiiſſent, ſed nimiū ſero, & cū tumultu caſtra mota ſunt, & ideo Bononiēſes & mōticolæ inter eūdū Pōtificiis et Venetis magnā cladē intulere, ceperūtq; impedimēta oīa, et maxīe de Venetis magna ædita cædes eſt, atq; etiā maior fuiſſet, niſi Vulpenſis eques q tergiductor erat, aliquātū hoſtibus ad ciuitatis fores obſtitiſſet, & intra mœnia repuliſſet. Sic iterū Bētiuoli Bononia potiti ſunt, & prope ciuitatē erat gallorū oīs exercitus ad mille qngēti milites, & decē millia peditū, ut noſtrorū in ſola fuga ſita omnis ſpes eſſet, & ea quoq; illos fefellit, qa in fuga a uillicis etiā turpiter copiæ Pontificis & Venetorū diſſipatæ ſunt. Itaq; Pōtifex dum Ferrariā cupit ſubigere Bononiā ciuitatē amiſſit, & re infœliciter geſta protinus Romā reuerſus eſt.

ANDREAE MOCENICI .P.V. De

LIBER QVARTVS HISTORIAE.

CAPTA BONONIA Pontifex Iulius depoſita belli gerẽdi cura omnes copias dimiſſit, præter milites in albo, quos per ciuitates ad ſtationes diſtribuit, ſimul ac certior factus eſt, nõ ituros gallos contra ciuitates Eccleſiæ, quia parabant Venetos ad Foſſam Clodiam, & ad Patauium uexare. Igitur Veneti quibus belli maius onus incumbebat feſtinare parare, utraq; loca affatim munire, copias ſub Paulo capello ex Rubicone flumine ad Clodiã traiicere, nouos equites & pedites adſcribere, deniq; omnia facere, quæ facto opus eſſe uiderẽtur. Et amplius Orator hiſpanus & Venetus apud Põtificem enixius etiã agebant de pace cum Rege romanorũ. Nãq; ea iterũ in conſultationem uenerat, tum quia gallis proſpera omnia cedere inuidioſa & periculoſa res erat, tum quia ualde dubitabatur Pontificẽ ad gallos deſciſcere dum Scocenſis Orator apud Bononiã cum gallis de pace omniũ frequenter ageret, & omnibus modis Põtifex conaretur cõcilium diſſoluere, ad quod ipſe etiã

Piſas accerſcebatur, ubi Reges romanorũ et gallorum Cardinaleſq; exiticii Calendis ſeptempris indixerãt. Quãuis enim Põtifex illud præuertiſſet in laterano, dubitabat tamen aliter fieri, adeo frequenter ſibi cõſcia plus ſatis timet, et ſemper mali præſaga mẽs eſt. Et quia per eos dies Pontifici litteræ Regis gallorũ redditæ fuerant, quibus continebatur Regem cum Pontifice pacem ſummopere deſiderare, & concilium apud Piſas celebrare, ſimiliter Regi gallorum in eam ſententiã litteræ pontificis datæ ſunt. NEMINI QVIDEM Rex gallorum magisq̃ nobis ſtudiũ Chriſtianæ pacis incumbit, quod ſi & tu adeo pacis ſtudioſus es, non debes interdicto apoſtolico poſthabito Ferrarienſibus noſtris hoſtibus adeſſe, quos ſi deſerds, ut te decet facere, nos etiam non amplius recordabimur eorum, quæ nuper male contra nos egiſti. Concilium autem uocare non tua, ſed noſtra legitima poteſtas eſt, qua nuper etiã libenter uſi ſumus et illud in laterano indiximus. Igitur eius rei te certiorẽ facimus, ſicut & alios Reges & principes omnes admonebimus, & hortabimur ad differẽda bella in tẽpus aliud. Et præcipue te Regem ſumma ope eniti decet, ut omnibus pateat liber acceſſus, & ſepoſitis armis cuncta fiant, ne id quod ui & armis agitur, iure irritum eſſe culpetur. Illud uero hiſpanus orator cum Pontifice & Oratore donato præſertim curabat, ut ad faciendã pacem cum Rege romanorum Veneti cõtenti eſſent Patauio & Taurіſio. Sed Ve-

neti nolebant Vincentiam relinquere quãuis obſidio patauina iterum inſtare uideretur. Adeo frequenter Veneti durare ſolent, & omnia ferre malũt, quàm ignominiam pati. Cæterum de gallis aliter euenit quàm putabatur, quia potius ab illis ad ſtationes itum eſt, & illi ſolum qui Veronæ quadringenti milites erant, & quattuor millia peditum frequẽter regionem prædabãtur, & maxime apud Suauium Venetos uexabãt. Sicut & parte altera ferrarienſes hoſtia padi nauigiis obſederant, ut illac iter maritimũ, & terreſtre periculoſum foret. Et amplius frequenter uidebãtur Rhodigianã polleſinum aggredi uelle, ut Veneti milites utrobiq; ſemper intenti paratiq; ſtarent, nunc locum ſeruare, nunc hoſtibus obuiã ire, & ſæpe etiã leuia certamina cõmittere. Deniq; Venetis in mentẽ uenit Veronenſium omnes ſegetes comburere, quia multum intererat, ſi poſſẽt hoſtibus cõmeatum adimere. Igitur ſtatis locis diſtributis præſidiis noctis ſilentio ea acta res eſt, & ultra citraq; amnẽ Atheſim omnes ſegetes igni abſumptæ ſunt. Sed nõ impune receſſum eſt, quia cum plures hoſtium obuiam uenissent, ex Venetis trecentis peditibus, ducenti uenerũt in poteſtatem hoſtium, & multi fluminis uorticibus abſumpti ſunt. Secundũ eam qualemcũq; pugnam galli non neſcii quantum præſtet in rebus agẽdis celeritate uti, ſimul ac paſſim Veronamueniſſẽt ad quattuordecim millia hominũ cum ferrarienſibus & germanis, locis omnibus contra Venetos ibant, et

quia Veneti auſi ſunt ad Villãnouam ualidum hoſtẽ expectare, illi facile copia hoſtium preſſi ſunt. Et tamen adhuc temere ſubſtiterunt prope Suauium, quo ui capto paruo diſcrimine, iterum de Venetis ædita cædes eſt, & uſq; Leonicum in caſtra fuſi fugatiq; ſunt. Deinde ſtatum utrinq; prope ad iactum lapidis & in illa ſtatione cõmitiaria in procictu, & ſub ordinibus militiæ ambo exercitus erant. Hoſtes expectabant acceſcitum ſubſidium. Veneti uero uiribus impares noctis ſilentio meditabãtur in pacatũ abire, ſimul ac ea res in conſultationẽ ueniſſet. Igitur dum ſtatur uerſus Patauium Veneta impedimenta, & tormenta militiæ admota ſunt, & occidente iã ſole idẽtidem perrexit omnis exercitus ſub ordinibus militiæ. Mediæ acies peditum incedebant, præſtites milites erant & ſubſtites, deniq; pileati haſtati equites ibant, & omnis exercitus iterum Patauiũ uenit, atq; omnia præſidia quæ prius erant in oppidis & ſuper Rhodigiana polleſino. Et quia neſcibatur Patauium ne hoſtes, an Tauriſium parent inuadere. Nãq; alioquin uidebãtur illam ciuitatem prius aggredi uelle, quam minus munitam uiderent, ſimiliter oportuit ex Patauio Taruiſium ualidum præſidiũ mittere. Et cum ea quæ foris fiebãt, relata Venetis eſſent, multi nobiles cum adſcriptis peditibus, alii patauium, alii Tauriſium ſubſidio profecti ſunt. Simulq; in urbes illas ex agris paſſim cõcurſum eſt, & multi agricolæ iterum Venetias uenerunt cum liberis coniugibus et

paupere ſupellectili. Interea parte alia in Iſtria cum Tergeſtinis res erat, quia illi cum unireme & lembis per littora prædatum ibant. Et cum nuper datũ negocium eſſet Aloyſio muſcatello cum unireme & cymbis longis portum Tergeſti petere, & uniremem & lembos comburere, quia parum caute agebatur, Veneti fuſi fugatiq; ſunt, & amplius Tergeſtini cum unireme & lembis ſexaginta equitibus, & trecentis quinquaginta peditibus auſi ſunt terra mariq; Muglam oppidum acriter inuadere. Sed ea res parum illis ceſſit ex ſententia, quia Muglenſes repente facta eruptione obuiam hoſtibus uenere, & illi cum magna ſtrage repulſi ſunt. Et identidem apud Adignanum oppidum liburni hoſtes fuſi fugatiq; ſunt, qui centum quinquaginta equites, & ducenti pedites uenerãt temere oppida capere & diripere. Deinde terra mariq; contra Tergeſtum ibatur agros uaſtare & prædas agere. Nãq; ad eam rem conuenerant ex tota Iſtria multa maiora nauigia, & peditum ingens manus collectitia, & cum primũ omnes prope urbem ueniſſent, repente ſigno dato ceptũ eſt agros uaſtare, uineas, arbores, oliuetaq; intercidere, & paſſim omnia deſolare. Atq; amplius Andreas ciuranus cũ nonaginta leuitibus, & centum peditibus nimium audacter auſus eſt per Poſtoynam oppidum ad ſexdecim millia paſsuũ in hoſtile ſolum penetrare. Et quidem cum magna præda regreſſi ſunt, uſq; ad ſaltus, anguſtos oppidi, cui nomen Vetus Sanoſechium. Ibi

locati in inſidiis ducenti pedites hoſtium repente Venetos adorti ſunt. Veneti tamen cuneo ſtatim facto inde euaſere incolumes. Sed quia poſtea et Chriſtophorus frangipanes cum ſeptuaginta leuitibus in Venetos irrupit Venetorum diſturbatis ordinibus tanta de peditibus & equitibus ædita ſtrages eſt, ut uix Dux ipſe cum trigita equitibus incolumis potuit aufugere. Adeo ſemper nocuit hoſtem irritare, quãdo utilitas rationem ſubigit & rapit in manifeſta rerum diſcrimina. Secundũ eam pugnã Chriſtophorus frangipanes cum quadringentis equitibus, & quingentis peditibus perrexit agros uaſtare, prædas agere, domos comburere, & in omne ſcelus impune prolapſus eſt, & deinde cum magna præda ad maiores uires comparandas in germaniã rediit. Nihilominus Iſtris et inſulanis proximis iter maritimũ periculoſum erat Nãq; Iacominich fluminẽſis pyrata cũ duabus uniremibus & lembis paſſim infeſtus ibat, & cũ ingẽti præda intercipiebat multa nauigia, ut Iſtri amplius negociari non poſſent, niſi ex omnibus uicinis inſulis ingens claſſis contra hoſtes ueniſſet. Et quia non inuenerunt pyratam in locum fluminis conuerſi ſunt, neq; in uincendo difficultas fuit, quia dum e mari ſolummodo tãta uis eſſet, hoſtis per cõtinentem abiit, atq; ſtatim capta & combuſta ciuitas eſt. Poſtea uero Chriſtophorus frangipanes cum ſeptem millibus hominum iterũ in Iſtriam uenit, & primo quoq; tempore deditione cepit Mocho caſtellum bene munitũ

natura

natura & ope, quia oppidani nimiũ ueriti ſunt tormenta militiæ, & quod peius erat inde omnes in fugam cõuerſi ſunt & paſſim deditio fiebat, donec audacia hoſtium tandem ad Muglã reprimeretur. Nãq; ciuitas illa obſidionem pati uoluit, & ſtetit contra tormenta militiæ. Itaq; omnes intenti paratiq; ſtare, hoſtibus obuiã ire, collapſa mœnia reparare, aggerem ducere, hoſtes ſemouere, & nihil tutum munimentis pati. Et ecce ex Iuſtinopoli ciuitate proxima triremis & biremis ſtatim ſubſidio uenit, & hoſtes repente Tergeſtum recedere compulſi ſunt. Andreas autem ciuranus præfectus leuitum, ſicut in obſidione muglẽſi ſe bene geſſerat, ſic nuper etiam fortiter in hoſtes egit. Nãq; Chriſtophorus frangipanes cum quadraginta equitibus, & cẽtum uiginti peditibus prædatum iterum uenit, & ille repente cum uiginti leuitibus, & centum uillicis peditibus obuiam perrexit ad Muglanã planiciem, ubi & anceps, & atrox certamen fuit, dum utrinq; fit, quod facto opus eſt. Deniq; inter Andreã & Chriſtophorũ duellum aſperũ fuit, & primo infeſtis haſtis agebatur, poſtea ſtricto mucrone alter alterum acriter aggreſſus eſt. Et quidem uario euentu pugnabatur, donec uterq; integer eſſet. Sed poſtq̃ Andreas Chriſtophorũ percuſſit in facie, acies hoſtium inclinauit, cumq; Veneti magis magiſq; eniterentur eo maxime hoſtes cum magna ſtrage fuſi fugatiq; ſunt. Et niſi Veneti intendãt gregarios etiam milites diripere, ipſe etiam Chriſtopho-

rus in hoſtium poteſtatem ueniſſet. Secūdū eam pugnam Veneti milites conabantur montium ſaltus recipere, & quia Hoſpium caſtellum in monte præru pto ſitū eſt, qua Carni mercatores ſalem & uina ſolent ſubuehere, & aliter capi non poteſt, ipſi clandeſtina conſpiratione uſi ſunt. Sed primo ea quoq; parū ceſſit ex ſententia dum nimiū temere feſtināt, & Tergeſtini ſubſidio forent. Poſtea tamen cum plures factionis uenetæ diſſimulati carnes facere in caſtellum iuiſſent, cæſis hoſtibus & admiſſo Veneto præſidio proditione tandem caſtellum illud in Venetorum poteſtatem uenit, atq; identidem alia uicina oppida in fidem recepta ſunt. Dum ea uero in Iſtria geruntur galli hoſtes qui contra Patauium uenerant, & penes quos regionum poteſtas erat, multū amice cum uilliscis & popularibus agebant, & inuitabant illos omnes domum redire qui foris erant, publice profitēdo ſe illis mites & beneuolentes fore. Et iſtud fiebat tantiſper dum Rex romanorū expectabatur, ſine quo non debebāt ciuitates inuadere. Sed alioquin omnia pertentabant facere, nunc uidebantur contra Taruiſiū in expeditionem exire, nunc contra Patauiū diuertebant, et curabant potiſſimū ad liminium aquas uetare, ne amplius Patauium defluant, lignamina & ferramenta compingere, aggerem ducere, & aquarum itinera obturare. Contra Veneti leuites obuiam ire, & quod diutino labore hoſtes fecerant, cito demolitum opus eſt. Namq; paſſim aduerſus hoſtes ibatur

ſæpe etiã inuadere, nunq̃ prælium cõſerere, ſemper hoſtem uexare, & præcipue commeatus frequenter intercipere, ut hoſtes non auderent amplius deferre annonam in caſtra, niſi per mõtes & cũ magnis ſubſidiis. Sed & illud nuper tantum abfuit, ut uectores hoſtes trecenti equites, & totidem pedites uicti ſint apud ciuitatem Maroſticam, ubi cum Venetis ſexcẽtis leuitibus certamẽ fuit. Atq; primo marte ancipiti agebatur, deĩde uidebatur res Veneta inclinare, q̃m q primus in hoſtes egit Comes Guidus rangonius captus eſt. Deniq; uero cũ Ioãnes maria fregoſius, Federicus cõtarenus, & Veneti leuites hoſtẽ circuiſſent, ſimulq; inuaderẽt a fronte, a tergo, & ab utriſq; lateribus, omnes pedites hoſtium cæſi ſunt, & pleriq; equites in Venetorum poteſtatem uenere. Parte alia identidem Veneti milites penetrarunt uſq; in caſtra hoſtium, et uerſus Baſſianum Coloniãq; prædati ſunt perterrefactiſq; hoſtibus cum magna præda iterum Patauium uenere. Sed eiuſmodi lætitiam Lucii maloſetii Gubernatoris interrupit interitus. Is enim pridie nonas ſeptembris morte intempeſta præuẽtus eſt, atq; eo magis dolẽda mors uenit, quia ille non ſic fortiter in bello occubuit, ſicut rei militaris laudũ plenus erat. Cæterũ ut maior etiam in dies fieret, quæ in caſtris hoſtium erat cõmeatuũ penuria, illud Veneti milites præſertim animaduertere, ubi pro caſtris collecti commeatus eſſent. Itaq; a Venetis itum frequẽter eſt Baſſianum, Caſtrũfrancum, & Ciuitatulã,

intercepti hoſtes, ablati cõmeatus munimenta et tor-
menta militiæ, demolitæ moles triticeæ, cõbuſti põ-
tes, & paſſim itinera abſciſſa ſunt. Et quoniam apud
Suauium trecenti equites hoſtium erant, illuc pari-
ter ibatur, & pedites ante lucem incautis hoſtibus
oppidum ingreſſi ſunt. Et quia præſidiũ conabatur fo-
ras aufugere, & contra Veneti equites foris erant,
deniq; hoſtes omnes, & qui foris, & qui intus fuerãt
in Venetorum poteſtatem facti ſunt. Atq; identidem
Venetis cum parte copiarum ſæpe fœliciter res erat
quãuis illi cum toto exercitu hoſtium non poſſet cõ-
fligere. Hoſtes uero q erga omnes antea humanitate
utebãtur, poſtea in ſummã impietatem conuerſi ſunt
omnia prædari, cuncta uaſtare, delubra deorũ ſpo-
liare, ſacra profanaq; omnia polluere, uirgines incæ-
ſtare. Auſi quoq; ſunt alii in templo Mariæ Virginis
coram matre ui uelle duas uirgines comprimere, &
quia illæ inficias ibant, ambæ in ſinu miſeræ matris
ſæuis uulneribus confoſſæ ſunt. Sic paſſim in omne
ſcelus ibatur, & deniq; prope Tauriſium caſtra ho-
ſtium ſita ſunt iuxta amnem Silium ad portam qua-
dragenariã, atq; inde ceptum eſt, ſæpe cõmitti leuia
certamina, dum hoſtes parant cõtra urbem tormẽta
militiæ affigere, et Veneti modo pedites, modo equi-
tes facta eruptione noctu & interdiu ſemper illis in-
feſti ſunt, ut hoſtibus parum uacet tormentis incum-
bere, dum illi ſemper intenti ſunt, frequenter illatã
iniuriam propulſare. Et quia ſic per triduum dilata

res eſt, facile credebatur intra urbem conſpiratores eſſe, atque ideo in caſtris hoſtium ſemper exploratores habebãtur, & in urbe poſitæ excubiæ & paſſim ordines diſtributi ſunt, ut milites, leuites, & pedites, atq; nobiles Veneti, qui multi aderant, ſtata loca cuſtodiant, & eorum ducẽti pedites, & totidem equites, uiciſſim noctu & interdiu, totã ciuitatem ſedulo luſtrent, ſimul cum Laurentio cerinate duce omniũ peditum, & Ioanne Paulo gradonico legato. Poſtea tormentis militie ex urbe acrius agebatur, ut ſtatim hoſtium munimenta diruta, & multi eorum contriti ſint. Et quia hoſtes uident ſtando contra urbem nihil agere, ſed tormentis militiæ continue multos ſuorum cadere, & magnam inopiã commeatuum pati, deniq; obſidiõe ſoluta receſſũ eſt. Veneti uero milites ægre paſſi ſunt ita impune hoſtes abire, et quia nimium temere egreſſi obuiã ibant, ea faba in ſuum caput cudebatur. Nãq; in inſidiis hoſtiũ inciderunt, & multi eorum cæſi ſunt. Deinde uerſus Plauim amnẽ hoſtes ibant, & ſimul parte alia germanis iter fiebat ex Tridento per uallem Suganã ad Scalanum oppidum in Cellatium, Alamonem, Schenerium, Feneſteriũ, & uallem La Zoin, qui ſaltus hoſtibus apti ſunt in Feltrenſem regionem irrumpere. Et primo quidẽ triginta leuites hoſtium ad Caſtrũnouũ uenere, quod oppidum ante Plauis amnis rapidiſſimus defluit, & retro mons præruptus erigitur, quingenti agricolæ cuſtodes erant, & Ludouicus batalea cum centum

quinquaginta leuitibus. Ille tamen noluit hoſtem expectare, dum ſemper putat ſe uires impares habere, ſicut illis ſolet accidere, qui natura meticuloſi ſunt, & ſtatim uenit Sacillum oppidum caput amnis liquẽtiæ, ubi belli uis maior incubuit, & aderat gubernator Baldaſar Scipionius cũ copiis, & Antonius ſauorgnanus cum manu collectitia. Sed poſtea quam relatum eſt, germanos hoſtes uenire ad octo millia peditum, & mille trecentos equites, Veneti maluerũt in pacatum abire, quam temere ſtando prædæ hoſtium militibus fore. Sacillo capto ſeptingenti leuites hoſtiũ ad Tiliauẽtum amnem uenerunt, & ſtatim deditiõe potiti ſunt oppido Spilimbergio, quod Tiliauenti fluminis caput eſt, & deinde uiſi ſunt collectis repente lembis, uelle amnem traiicere. Quod cum primũ cognouiſſet præſides ciuitatis Vtini qui pridie pro cõtione omnes hortabãtur uelle mori pro patria ſtatim ementito habitu ſilentio noctis fugerũt cum tota ſupellectili, & quæ poterant auferri tormenta militiæ hoſtibus relicta ſunt, ciuitatiſq; mẽbra alia, quæ ſine capite non poſſunt ſubſiſtere. Igitur Vtinum in hoſtiũ poteſtatem uenit, uicinaq́ oppida alia, & Antonius ſauorgnanus ad hoſtes deſciuit. Sed alioquin hoſtibus aliqua difficultas fuit apud Gradiſcã oppidum, quod illi nuper perrexerãt oppugnare. Nãq́ in eo conſeruandæ reparandæq; reipublicæ merito omnis ſita ſpes erat, quia locus ille totius prouinciæ ampla foſſa lato muro & promurali municiſſimus eſt. Et amplius

cum mercenario milite cuſtodes erant Baldaſar Scipionius et Aloyſius Mocenicus legatus prouinciæ, qui quantum in ſe fuit nunquam defuit fortiter obſidionem pati, acriter hoſtibus obuiam ire, feſtinare, parare, facere cuncta utilia. Et primo quidem tormentis militiæ agebatur, poſtea atrox certamen fuit, deniq; cum magna ſtrage hoſtes repulſi ſunt. Aliter iterum conſertum prælium eſt maioribus uiribus, & quia Veneti non niſi ducenti equites, & totidem pedites intus erant infœliciter geſta res eſt. Nanque Veneti milites deditionem fecerunt, & omnes abierunt incolumes, cum magna tamē infamia. Sicut ſemper illis ſolet accidere, quibus uita eſt carior quam honor inſeneſcibilis. Deinde hoſtes perrexerunt identidem Oſopium capere, & creditum eſt Hieronymū quoque ſauorgnanum ad hoſtes deſciſcere, ſimul ac ille in caſtra hoſtium uenit, atque inde in germaniā, & menſtruas inducias pactus eſt. Nāq; hoſtes germani ad quindecim millia hominum diuerterunt in caſtra gallorum hoſtium, & deinde quo infœlices agricolæ in pacatum cogerant animalia ad paludes infeſtis ſignis ibatur. Itaque hoſtes prædādo, cōburēdo, et crudeliter agēdo uſq; Meſtrū oppidum digreſſi ſunt, et progreſſi parte alia uſque ad prima clauſtra Silii & Siluli fluminis identidem agros uaſtare, prædas agere, & uictis nihil reliqui facere. Adeo ſemper in uictoribus non reperitur modus & temperantia. Poſtea ſimiliter ſæuiendo omnis exercitus hoſtium Veronā uenit, ubi a

germanis præſidio ſtabatur, atq; a gallis Mediolanū ibatur obuiam heluetiis, qui dicebâtur in expeditionem exire. Vix hoſtes abierant, & ſtatim exiuit in expeditionem cum Venetis copiis Ioânes Paulus baglionius, qui per eos dies indemortui locum Gubernatoris ſuffectus eſt, atq; in de deditione cepit Vincentiam & uicina cūcta oppida. Et identidem parte alia Laurētius cerinas cum Ioanne Paulo gradonico legato et ualido exercitu prorupit in Forūiulii. Neq; in recipiendo totam prouinciam difficultas fuit, quia paſſim deditio fiebat. Aliter apud oppidū Cromoniū aliquādiu ſtabatur, quia ſitum in monte prærupto, et armis uiriſq; bene munitum erat. Illud tamen etiā ui captum eſt, & propterea cum primū in Venetorū poteſtatem uenit e ſenatu conſulto ſolo æquatum eſt, & germani præſides & præfecti militum in captiuitatem Venetias abducti ſunt. Hieronymo autē ſauorgnano cum centum græcis haſtatis equitibus, & manu collectitia datum negocium eſt, Carnos in hoſtes excire, & ſaltus mōtiū antecapere. Ille uero ſtatim iubet quadringentos pedites ire ſupra Scluſam ad quinq; millia paſſuū, & diruto Ponte muri, ea parte iter hoſtibus occludere, ut Veneti cōmodius poſſent Scluſam recipere. Sed tantum abfuit, ut qui in eam expeditionē ibant centū equites, et quingenti pedites facile repulſi ſint, quia ad duo millia hominū hoſtes ſubſidio ſtabāt. Verum quia poſtea præfectus peditū cum exercitu uenit, trecenti pedites hoſtium oppidū

Venzonium dedere, Scluſa caſtellum ui captum eſt, & cuſtodes omnes ad unum cæſi ſunt. Deinde contra urbem Gradiſcam in expeditionem ibatur conſtitutis ordinibus, ut ductores alii & Theodorus Burgenſis cum parte copiarum noctu montem antecapiant, qui ultra amnem Liſuntium è regione ciuitatis erigitur. Laurētius autem cerinas & Ioannes Paulus gradonicus cum exercitu ſuper planiciem maneant, prope ciuitatem ad turrim Marcellam, atq; hinc inde agatur tormentis militiæ. Sic inuicem diu geſta res eſt, dum nihil utriq; prætermittitur quod uſui foret, deniq; Veneti ſimul ac uident ciuitatem bene munitam armis uiriſq;, & captu difficilem fore, ceptum eſt in agendo plusſatis frigeſcere, ſicut & frigidum hyemis tempus erat, & tandem parū ceſſit ex ſententia, atq; obſidione ſoluta receſſum eſt. Dum ea foris & militiæ geruntur, domū frequenter de pace & fœderibus agebatur, ſimul ac ad Regem hiſpaniæ ſuper defectione Bononiæ, & Piſano concilio relata res eſt. Et quia hæreſim ſapere uidebatur, Rex hiſpaniæ Regi romanorum & gallorum per litteras aiebat, ſe æquo animo ferre non poſſe, eos Eccleſiæ infeſtos eſſe, & uelle concilium celebrare non eo modo, quo de iure fit. Quod facere niſi deſiſtāt dicebat, ſe protinus Eccleſiæ auxilio fore, ut ſe decet q Catholiciſſimus dicitur. Nihilominus Romæ per delectos Cardinales undecim de cōcilio agebatur, miſſi ſunt oratores ad Principes & datæ litteræ, quibus continebatur Pon-

tificem Romæ in laterano ad diem Paſchæ conciliū indicere, atq; ideo irritum facere Piſanum concilium quod de iure etiam nullum eſſet, & omnibus qui interfuerint cenſuris eccleſiaſticis interdicere. Non tamen propterea Pontifex etiam deſiſtebat multum & frequēter de pace cum gallis agere, & uidebatur ad illos uelle deſciſcere, ſi dimiſſa Ferraria, Bononiā poſſet in fidem recipere, ut uetet concilium quod alii omnes etiam ægre ferebant, & futura Pontifici ignominioſa & periculoſa res erat. Aliter cum nihil boni Scocenſis orator attuliſset e gallia, cum gallis nihil actum eſt, atq; eo maxime quod galli contra pollicita quingenti milites Bononiæ auxilio ſtabant, & Pontificis milites qui ſub Regino Cardinale legato in eā expeditionem exiuerant protinus coacti ſunt in pacatum recedere. Sed cum hiſpanis in dies magis magisq; poſtea de fœderibus agebatur, quia hiſpanus Orator maxime ueritus eſt, Pontificem ad gallos diuertere, et ſumma ope in cōtrariū nitebatur. Et quoniam germanicū fœdus cum Venetis fieri non poſset hortabatur Pontificem & Venetos ſecluſo Rege romanorum, cum rege hiſpaniæ & angliæ in nouū fœdus coire. Satis aiebat iam ſerpſiſſe iſtam cancrenā, quæ latius etiam ſerpere nititur, niſi ſeccetur. Agendum eſſe celeriter. quia tēpus interpellat, & in mora periculum eſt. Igitur diu actum eſt, & demū in eam ſententiam Regi angliæ litteræ Pontificis datæ ſunt.

COGITANTI MIHI Rex angliæ frequē-

ter ut me decet, quomodo in tanto bellorum turbine Chriſtianos placem. Illud præſertim in mentem uenit, ut nos inuicem cum Rege hiſpaniæ, & Venetis, nouum fœdus iniremus contra Regem gallorũ. Nãq; ſolum hoc modo uidemur poſſe bellum bello tollere, ſicut frequẽter ſolet accidere. Iſtud uero facere Rex hiſpaniæ & Veneti contenti ſunt. Tu ſolus reliquus es, in cuius manu ſita res eſt. Noſtræ quidem uires hiſpanæ & uenetæ ſatis amplæ et magnæ ſunt, ut ad uictoriam omnia paratã ſint, ſi modo ut confidimus fore, & tu nobiſcum Eccleſiæ & Italiæ tuendæ prouinciam ſumas. Rex gallorum aliorum Regum incuria iam totam ciſalpinã galliam habet. Genua, Ferraria, Bononia, & Florentia. ſuæ ditionis ſunt, reliquũ eſt ut ſuggeſtione noui concilii rem Eccleſiaſticã occupet, & neapolitanũ regnum iterum uendicet, atq; eius fiat tota Italia. Tu quæſo ſuccurre labefactatæ Italiæ, dum facultatem habes, & probe uideto quantum tua interſit. Nãq; Regis gallorum nimia potẽtia tibi etiam periculoſa futura eſt, quando regum ambitioſorũ ſemper dominãdi inexhauſta uoluntas eſſe ſolet, Igitur neceſſe eſt, & nunc potiſſimũ te Regem ſumma ope eniti decet, ut te auctore nobiſcum Regis gallorum tanta audacia comprimatur. Quod ſi feceris, nobis rem gratã facies, et re bene geſta maximum honorem et gloriam reportabis. Sed cum tabellariis non ſatis tutum & longũ iter eſſet, ſecus q̃ res ipſa poſtulare uidebatur, Pontifex ſeruato loco

Regi angliæ cum Oratore hiſpano & ueneto ſtatim fœdus iniuit, ut Rex angliæ contra gallos in expeditionem exiret parte alia, parte alia Pontifex et Veneti in menſe quolibet quadraginta millia numū darent Regi hiſpaniæ, qui teneretur habere in caſtris mille ducentos milites, & decem millia peditū. Regi quoq; romanorū cum Venetis retenta Vincentia pacis conditiones propoſitæ ſunt, ut eas ſi renuet, hiſpani etiam iure obuiam ire uiderentur. Iamq; Neapolim applicuerat claſsis Regis hiſpaniæ cum quingētis militibus, mille leuitibus, & octo millibus peditū, deinde uſq; urbē Capuam omnes copiæ uenerunt, ſimul ac Pontifex in grauem ægritudinē incidiſſet, ut ſi locus uacet ſuper eligendo Pontifice eorum poteſtas eſſet. Igitur de quo frequenter agebatur fœdus aliquantiſper dilatum eſt, tum quia ſuper eius conditiones difficultas fuit, tum quia Regis romanorum anteponenda pax erat, tum deniq; quia Pontifex ægrotabat & miſerat acturum de pace oratorem in galliam. Adeo ſoluto concilio & recepta Bononia fidere illi etiam nolebat, cui ſuamet ex ſententia nulla fides habenda eſſe uideretur. Sed tantum abfuit, ut Rex gallorū nuncio Pontificis ſe illud facere inficias iret, & amplius Oratori hiſpano & anglo identidem dixit, & cum illi proteſtaretur fore, ut Reges hiſpaniæ & angliæ Regi gallorū ſtatim obuiam eant, paruifacere uiſus eſt. Et quia hiſpanus magis inſtabat, ille conuerſus in iram, Regi hiſpaniæ ſuper utroq; regno

minatus eſt, & ſe daturũ operam aiebat, ut Regi an-gliæ cum Rege Scotiæ domi bellãdi ſatis ſuperq; res eſſet. Poſteaq̃ uero Pontifex cõualuit, quia ſic cũ gal-lis ſe res habet, & conciliũ apud Piſas fiebat, ille pri-mo quoq; tempore contra Florẽtinos, quia locũ per-miſerant, cenſuris Eccleſiaſticis inuectus eſt, & idẽ-tidem Cardinalibus exiticiis interdixit, deinde ora-torem hiſpanum & Venetũ in dictum fœdus ſumma ope cogebat. Adeo ſemper nimis uolendo aut nolẽdo, in eo non erat modus et patientia. Igitur demũ occa-ſione recuperãdæ Bononiæ & tollendi ſchiſmatis per Pontificem Iulium ſecũdũ, Hieronymũ de Vich ora-torem hiſpanũ, et Hieronymũ donatũ oratorẽ Venetũ fœdus adſtipulatũ eſt, & ſeruatus locus Regi angliæ cuius ſatis perſpecta mẽs erat, quia cum eius oratore Chriſtophoro eboracenſe Cardinale ſemper acta res eſt. Et quoniã ex conditione fœderis Pontificis iudi-cio relinquebatur, ſi forte reciperentur e manibus hoſtiũ cuius ciuitates eſſent, quas Veneti ante iſtud bellũ poſſederãt, nũc pro ut ex tunc Põtifex pro Ve-netis ſententiam protulit. Vix ea omnia facta ſunt, & noſter Hieronymus donatus orator Venetus interiit, cuius funus non minus lachrymoſum quam celebre & honorificũ fuit, tum quia cum eo litteræ græcæ & latinæ perire uiſæ ſunt, tum quia propter faci-litatem & bonitatẽ naturæ omnibus carus & amã-tiſſimus erat, & mors eius merito fœlix habita eſt, quia bene agẽdo, & bene conſulẽdo, pro patria obiit,

cum fœdus illud iniſſet, quod iure credebatur Vene-
tis fauſtū fœlixq́ʒ fore. Adeo ſemper non refert uiuere,
ſed bene uiuere, atq́ʒ ea demū fœlix mors eſſe cre-
ditur, quæ in agendis rebus optimis prouenerit. Ita
uero Rex gallorū credidit fœdus illud periculoſum
fore, ut ſtatim mittat Oratorem ad heluetios, qui ex-
ceptus nō eſt, & ad Regem romanorū Cardinalē Se-
uerinatem, qui difficulter eum conuenit & hortatus
eſt, ut ſe confeſtim expediat cum gallorū copiis terra
mariq́ʒ aduerſus Pontificem bellū gerere, & ſe uerū
Regem romanorū facere, quod & factu facile eſſe aie
bat, quia Romani iugum Pōtificis faſtidiūt, & res no-
uas eiuſmodi moliūtur. Sed illud difficile Regi roma-
norum uidebatur, quia diuitias nō habet, & pericu-
loſum erat temere Regi gallorum ſe credere, atq́ʒ eo
maxime, quod nuꝑ galli ſe inuito expilatis locis om-
nibus re infecta et Taruiſina obſidione ſoluta diſceſ-
ſerant. Accedebāt dehortationes Petri uriæ oratoris
Regis hiſpaniæ, qui ſtatim repedauerat in germaniā,
ſimul ac Venetias uenit, & de induciis locutus eſt.
Illud uero Pontifex & Veneti præſertim curabant,
ut primo quoq; tempore Rex angliæ qui cum Rege
ſcotiæ iam fœdus pepigerat, necnō hiſpani & helue-
tii hinc inde contra gallos in expeditionem exirent.
Et quāuis omnibus locis bellū enixe parabatur, illud
tamen differri in tempus aliud Pontifici & Venetis
moleſtū erat. Igitur diu ea acta inuicē res eſt, & de-
niq́ʒ Venetorū omnis exercitus ad rhodigianā polle-

ſinum uenit, atq; ab exercitu Pontificis & Regis hiſpaniæ contra urbem Bononiam ibatur. Parte quoq; alia heluetii ad ſex millia hominum prædatũ in Mediolanẽſe ſolum proruperant. Et quia illis galli quingenti milites cum Magno magiſtro facti obuiã ſunt, primo quoq; tempore ad Biam craſſam cõſertũ prælium atrox eſt, & deniq; apud heluetios ſtetit uictoria, ſimul ac gallorũ quingenti equites cecidere, & reliqui in fugam cõuerſi ſunt. Sed paulopoſt cum aduerſus heluetios gallicæ longe auctæ uires eſſent, illi cum ingenti præda, & manubiis hoſtiũ confeſtim redierunt unde abſceſſerãt. Non aliter ꝙ nuper parte alia Tirolẽſes germani ui capto Cadubrio, & direpta Ciuitate Bellumni uictricia ſigna reportarunt in germaniam, ſimul ac Veneti locis omnibus illis infeſti ſunt, ut inter eundũ relictis impedimentis aliquibus, potius aufugere uiderentur. Interea uero factioſi Brixienſes aliqui intempeſtiue nimiũ res nouas moliti ſunt, & protraxerant in eam expeditionem Andreã Grittũ cum trecentis militibus, mille trecentis leuitibus, & trecentis peditibus, itumq; eſt ſub ordinibus militiæ uſq; prope Brixiã ad quinq; millia paſſuum cum magna ſpe, et magno applauſu omniũ, qui paſſim in caſtra cõmeatus portabant, & intẽti paratiq; erãt omnia, quæ imperabãtur facere. Iamq; locis omnibus ad arma conclamabatur, niſi Andreas in aliud tempus differat, ſi aliquis relatũ accedat, in quo ſtatu ſita res eſſet. Et quia ſtatuta die qui referat aliquis non

eſt, & præmiſſus equitatus leuitũ ad portas urbis, nihil paratũ inuenit, protinus a Venetis receſſum eſt quia galli coniurationẽ detexerãt, & de complicibus ſumpſere ſuppliciũ. Sed quoniã auctore Aloyſio auogario palam adeo omnes ad Venetos deſciuerant, ut ſine ſuo magno malo illis amplius non eſſet integrum redire unde abſceſſerant, diu cum Venetis actũ eſt, & ſimul ac omnia rei gerẽdæ longe paratiora uiderentur iterum contra Brixiã ibatur. Et iam uentum erat ad Caſtagnedolũ prope urbem ad quinq; millia paſſuũ, & adhuc Comes Aloyſius qui adcerſcerat in procinctu promiſſas copias non habebat, quando dilatione opus non eſſet, tantiſper dum galli hoſtes impediti ſunt cum exercitu Põtificis & Regis hiſpaniæ apud Bononiã. Igitur primo quoq; tempore Veneti feſtinare, parare, facere cuncta utilia, deniq; omnes p̱ litteras admonere, qui in urbe ſunt, niſi ſtatim deditionem faciãt, omnia prædæ militibus fore, deinde poſitis multis agricolis ſub ordinibus, locis ſimul pluribus nocte media ceptũ eſt urbẽ inuadere, quia ſemper magis terrent quæ noctu, ꝙ̃ quæ interdiu fiunt. Et primo quidẽ tormentis militiæ acriter agebatur, poſtea atrox certamen fuit, dum utrinq; nihil prætermittitur, quod opus eſt facere. Veneti ſumma ope conabãtur hoſtem repellere, portas infringere, demoliri mœnia, & admotis ſcalis murũ aſcendere. Contra hoſtes pro mœnibus acriter ſtare, fortiter obuiã ire, nihil ſatis tutũ munimẽtis pati, & ſæpe etiã Venetos

loco

loco detrudere, quãdoquidẽ uis ingens telorũ omnis generis e muris uolabat. Porro ad Portã turris lõgæ infœliciter a Venetis cũ hoſtibus geſta res eſt, quia hoſtium tormentis militiæ Veneti ducenti ſaucii aut contriti ſunt. Aliter ad Portã garzulæ ubi ductor erat Baldaſar ſcipionius, & ad Portam pilarum ubi p̃erat Aloyſius auogarius fœliciter agebatur. Nãq; Dux uterq; acriter ad urbẽ ſuccedere, hortari, imperare, & facere quæ in rem ſunt. Et quod plurimũ ad accẽdẽdos animos militũ intererat, teſtis ſpectatorq; adeſſe cuiuſq; uirtutis & ignauiæ, atq; inde accenſi milites in uulnera & tela corruere, ut nõ poſſent arcere illos muri, aut ſupſtãtes armati, quin certatim aſcendãt. Itaq; poſt cruentũ prælium proſpera omnia fuere, quia utrobiq; pulſis hoſtibus itum fœliciter in urbem eſt, & galli hoſtes in caſtellũ fuſi fugatiq; ſunt. Nãq; & populariũ arma quæ antea pro gallis fuerant, in gallos hoſtes conuertebantur. Adeo frequenter omnes homines ſucceſſus rerum ſequi ſolent, & ſemper omnibus amica fœlicitas uidetur. Capta Brixia quaſi omnis res Veneta reuerſa eſſet in integrũ, ceptũ eſt ab omnibus bene ſperare, licet ſpes illa potius uolũtatis ſimulachrũ eſſet, ut illis qui miſeri ſunt frequenter ſolet accidere. Sic tamen obiter cuncti agricolæ, & omnes mõticolæ, urbs Bergomũ, & cuncta oppida in fidem Venetorũ recepta ſunt, & ſimiliter uiſa eſt Crema & Cremona res nouas moliri uelle, niſi protinus re cognita, ex Mediolano

ingens præſidiũ ueniſſet. Nãq; hoſtes alioquin ciuitates & oppida ſtatim munire, arma expedire, copias colligere, & bellũ ocyſſime parare. Sed Veneti ducti erant in tantã ſpem reparãdæ reipublicæ, ut magis ſtuderent mittendis præſidibus ꝙ præſidiis & tormentis militiæ, ſine quibus caſtellũ capi non poterat. Igitur ſtãdo foſſa et promurali hoſtes ad duo millia hominũ caſtellũ munire, & deinde in ſubiectã urbem agere tormentis militiæ, totam ciuitatẽ noctu & interdiu uexare, atq; domos paſſim & munimẽta proſternere. Iam uero & parte alia præſidio munita Bononia gallorũ omnis exercitus noningẽti milites, mille leuites, & ſex millia peditũ ad Stellatenſe oppidũ cõfeſtim Padum traiecerat, & per Pontem molarum in agrum Veronẽſem irruperat, ubi Brixiæ præſidium erat Ioannes Paulus balionius cum Venetis quingẽtis militibus, ducẽtis quinquaginta leuitibus, et mille ducẽtis peditibus. Et nuper ille ductus ſuſpitione hoſtium redibat, ad Alboretũ amnẽ Atheſim traiicere. Sed quia ablatus põs eſſet, ſub ordinibus militiæ ulterius prope Veronã ibatur. Et ecce hoſtes repente illis obuiam facti ſunt, & deinde conſertum prælium eſt. Nãq; hoſtes extremã alam leuitũ aggreſſi ſunt, qui cum pauci admodũ eſsent, non potuerũt uim hoſtium ſuſtinere. Poſtea cum peditibus geſta res eſt, & primo cõtra hoſtes acriter ibatur, deniq; Veneti cedere uiſi ſunt, niſi ſtatim milites ſubſidio ueniſsent. Sic redintegratũ præliũ eſt, & utrinq; fortiter age

batur, quia concurſum eſt paribus animis, quãuis impares uires eſſent, multi utrinq; cadebãt, multi ſauciabãtur, deniq; hoſtiũ ingruente multitudine, Veneti cum magna ſtrage fuſi fugatiq; ſunt in caſtra ultra amnem Atheſim, ubi ſtabat Comes Bernardinus fortebracius cum trecentis militibus. Itaq; infœliciter geſta res eſt apud inſulã Scalanã prope amnẽ Atheſim, et maius quoq; Brixiæ periculũ imminebat, quia hoſtes inde uſq; Caſtagnedolũ perrexerũt, & identidem adorti ſunt Meleagrũ forliuienſem cũ equitatu leuitum, quod ibi Brixiæ poſt præſidiũ erat. Certatumq; acriter eſt contra gallorũ omnem exercitum, quantũ debiles uires leuitũ paterentur. Sed quia in milites agere durũ erat paucis leuitibus, deniq; Venetis cum magna ſtrage neceſſe fuit recedere, et inter eũdũ amplius equi lapſu fortuito Meleager Dux leuitum in hoſtium poteſtatẽ uenit. Cum primũ autẽ ea quæ foris fiebãt Brixiæ relata ſunt, quãuis ad uiginti quinq; millia hominũ intus eſſent, omniũ tamen animi cõſternati ſunt. Nãq; ueniebat in mentẽ uictorem exercitum prope eſſe ad quinq; millia paſſuum, unde in urbis caſtellum uia facilis eſt, & adhuc ex Mediolano triultios & palauicinos ingẽs ſupplementum exercitui uenire, unde identidẽ facile poſſent in caſtellum uadere. Accedebat etiam caſtellũ illud armis uiriſq; bene munitũ eſſe, & tormẽtis militiæ totam urbem frequenter terrere, atq; multos aditus in ciuitatem habere. Igitur Brixiæ ſæpe trepidatũ eſt,

& omnes uidebãtur ſi quando in magno diſcrimine ſita res eſſet, ſibi conſulturi potius q̃ omnia prædæ militibus fiant. Aliter dum adhuc etiam ſeruandæ reipublicæ ſpes eſt, ciues & populares cuncti ſedulo in officio manere, arma expedire, locum ſeruare, & opera militiæ facere. Atq; identidem ex Brixia, & ex monte proximo per illos Vallis Trompiæ, quibus montis demãdata erat cuſtodia, acriter hoſtibus itũ obuiam eſt, ſimul ac illi prope urbem ueniſſent in caſtellum ſubſidiũ mittere. Et quidem diu uetitũ eſt, dũ fortiter obſiſtitur, neq; unq̃ hoſtes montem ſuperaſſent, niſi nequiſſent ob ingentem pluuiã pedites agricolæ tormẽtarii ſuis tormentis in hoſtes uti. Nãq; ea de cauſa hoſtes deniq; fuderunt fugarũtq; agricolas, & monte potiti ſunt. Capto monte quo poterant hoſtes ad libitũ in caſtellũ ire, ciuitatis ſolũmodo in auxiliaribus copiis ſita ſpes erat, accerſcebãtq; frequenter Venetos & hiſpanos ſubſidio feſtinare, ut ſaltem aliqua noua ſuſpitio hoſtibus ingeratur. Sed dum parando ſemper in aliud tẽpus differtur, hoſtes ſoliciti primo quoq; tempore feſtinare, parare, facere, milites ſeptingenti pedeſtres agere, ſequi peditũ octo millia, & omnes pariter ex caſtello in Ciuitatulam repente irrumpere, ſimul ac ciuitatis pars illa ad hoſtes defecerat. Sic primo apud urbis Ciuitatulã acriter agebatur, & quãuis ibi peditũ Venetorũ ingens præſidium eſſet, facile omne abſumptũ eſt, quia domi et foris hoſtes erãt. Deinde protinus in urbem ibatur, ubi

belli maius onus incubuit, quia ſuper plateá Venetorum omnis exercitus ſtabat ſub ordinibus militiæ, ſimul ac uidet in fuga nullã ſpem fore, ſed moriendũ aut uincendũ eſſe. Igitur collatis utrincꝫ ſignis geſta res eſt, & atrox certamen fuit. Clamor & ſtrepitus armorũ in cœlum ferrebatur, quiſcꝫ non niſi moriẽdo loco cedere uiſus eſt, multi utrinq; peribant, multi utrinq; ſauciabãtur. Hoſtes acrius agebãt, quia apud illos iam parta uictoria uidebatur. Cõtra Veneti deſperatione ducti in funus animoſum ruebant. Federicus contarenus præfectus leuitũ dum inter primos fortiter agit, uulnifico ſcorpione occubuit, & forte indignata mors eſt, quia ille adhuc iuuenis tam cito in bonum militẽ euaſerat. Andreas autem Grittus qui ſe geſſit in bello fortiter quantũ fieri poterat, cũ Antonio iuſtiniano, Ioãne Paulo manfrono, Vulpeſi eqte & Baldaſare ſcipionio, ſe recepit in palatiũ, ſimul ac trucidatis militibus res ad triarios ueniſſet. Itacꝫ ꝑ hoſtes Brixia iterum recepta & direpta eſt, ſæuitũcꝫ crudeliter etiam in mulieres & infantes innoxios. Deniq; Aloyſius duogarius dilaniatus occubuit, atq; Andreas Grittus, cum Antonio iuſtiniano, & manubiis hoſtiũ in galliã abductus eſt. In eo bello ex gallis Domini Boiſenſis et Paliſenſis maxime uirtus enicuit & ex utroq; exercitu ad quindecim millia hominũ cæſa feruntur. Nãq; de gallis multi pedites, & treſcenti milites deſiderati ſunt, & de Venetis non niſi ducenti leuites per medios hoſtes potuerũt euadere,

quia alioquin ad portã Lazari, quo multi cõuenerãt aufugere, nõ patebãt aditus, niſi per hoſtiolũ in anteportarium. Interea Romæ iterum & frequẽter agebatur de paçe cum Reze romanorũ, & ad illud tandem uentũ eſt, quod niſi Veneti Vincẽtiã relinquãt, Põtifex proteſtaretur alioquin fore, ut ab omnibus regibus contra Venetos iretur. Nãq; Rex hiſpaniæ & angliæ ſine Reze romanorũ nolebat fœdus initũ ſancire, quorũ uolũtati etiam neceſſe erat Pontificẽ acqeſcere, quia aliter apud Mediolanũ quinta ſeſſio fiebat, & Rex gallorũ cum Vrſinis & Columnẽſibus clanculũ egerat, ueneno aut ferro Põtificẽ perimere. Igitur frequẽter Venetiis ad ſenatũ referebatur, atq; aliquis iturus in ſententiam Pontificis ſic orſus eſt. BONI CONSVLTORES .P.C. bonos medicos imitari debent, quia & reſpublica quoddam corpus dicitur. Quod ſi illi & bene quæ emarcuit partẽ corporis ſtatim ſecant, ne pars ſincera ſimiliter trahatur, & uobis ſuper Vincentia nũc ea ratio habenda eſt, ut dii lares, patria, parẽtes, & ueſtræ res omnes ſaluæ ſint. Nõ ne uos pleriq; mercatores eſtis, & ueſtras mercimonias proieciſtis in mare, ne alioquin naufragium faceretis? Nũc quoq; imminet naufragium reipublicæ, & dubitabitis identidẽ facere? quando cum tantis regibus uobis res eſt, & ſine ueſtro malo non poteſtis quieſcere. Iſtud quidẽ eſt quod aiebat Heſiodus dimidiũ nõnunq; plus eſſe q̃ totum quando alioquin totum comprehendere noxium eſt.

Et nulla profecto ſciētia maior dicitur ꝙ ſeipſum cognoſcere & metiri ſua pondera, cuius rei ipſa opera maxima teſtimonia eſſe debent, & uos identidē quātum ualetis facile poteſtis ex his cōprehendere, quæ nuper apud Brixiā geſſiſtis. Atq; āplius animaduertite quēadmodū difficulter pecuniæ cōparētur, quæ poſſint ad bellū ſufficere, ut longe melius eſſet conſulere quid faciendū, ut nō egeamus tantis pecuniis, ſicut Athenienſis ille Alcibiades hortabatur Periclem auunculū quærere potius quēadmodū rationem non redderet, cum ille propylæo Mineruæ ædificaſſet et non inueniret, quo pacto miniſterii rationē redderet. Accedit ad hoc quod Vincentiam daturi eſtis cum magno ueſtro fœnore, quia facta pace Reges inuicem bello certabūt, & uobis ad reparandā rēpublicā amplæ conditiones porrigentur. Aliter ſi ueſtra duritia nuper fœdus initum diſſoluatur, & arma Pontificis in nos etiam conuertātur, quæ nam ſalutis ſpes eſt? Quod ſi non putetis ita fore, reducite in memoriam quomodo Cameracēſe fœdus Reges antea pepigerint, ſimul ac Pōtifici noluiſtis Ariminū & Fauentiā reddere. Iſta ſunt. P. C. quæ me mouent, ut putem e republica fore, Vincentiam tradere, & aqua pauca multum ignē ſopire. Nāq; ſemper æquo animo ferre illud oportet, quod pati neceſſe eſt, & mea quidē ſententia non poſſumus aliter facere, et reipublicæ bene cōſulere. Cōtra ita alius aiebat. RECTE QVIDEM. P. C. ex arte medica ſemꝑ fit, ut ſecādo

pars alia reddatur innoxia. Sed qui nimium emũgit contra artem elicit ſanguinẽ. Et iſtud nunc eſt, quod in quæſtionẽ uenit, neq; enim uenit tradẽda ſola Vincentia, ſed & Crema Cremona Brixia & Bergomũ, ad quas urbes iter præcluditur. De reliquis quoq; præter Patauiũ & Taruiſiũ futura lis dicitur. Patauium uero & Taruiſiũ emetis, ducẽtis quinquaginta millibus nũmũ, & inſuper quotãnis urbes illæ cenſentur triginta millibus, ad quod uix cuncta uectigalia poſſunt ſufficere. Addicite ad hæc, quomodo illi qui in principio belli iuratas inducias fregit, nunc fides habenda eſt, ne habitis noſtris pecuniis, aduerſus nos bellũ etiam enixius geratur. Iſta ſunt quæ modo in cõſultatione ueniũt, an ita turpiter nobis ipſis debeamus deficere. Et mea quidẽ longe aliena mens eſt, ut putem potius durandũ eſſe, & ſeruandũ uosmet ad meliora tẽpora. Nõne et uos eſtis. P. C. apud quos acta res eſt ſemel atq; iterum cum obſideretur Patauium & Taruiſiũ? & tamẽ nunq̃ iſtas pacis cõditiones iniquas uoluiſtis accipere. Quid modo facturi eſtis? cum diuũ benignitate omnia nitiora & meliora ſint. Neq; dubitare debetis q̃uis freq̃ẽter dicatur, contra uos iturum Pontificem, non enim is eſt, quem ratio non uincat. Quod ſi propter metũ concilii Regi hiſpaniæ cupit rem gratam facere, & Rex hiſpaniæ adeo cõtra gallos ſe bello cõplicuit, ut ãplius in amicitiã coire non poſſit, atq; iſta fiũt, ut cum Rege romanorũ excuſationes ſint, & uos in eã partẽ debetis

accipere. Suſcipite quæſo rempublicã. P. C. neq; eam patiamini nimia trepidatione perdere. Et quæ nã adeo uos cogit neceſſitas feſtinare? ſemp ſatis cito fit, ſi bene fit, neq; uobis unq̃ pacis iniquæ cõditiones defuturæ ſunt. Expectemus quæſo parũper, dum detur intelligi in tanto rerũ diſcrimine, & Regũ diſſidio, in quo ſtatu futura res eſt. Poſtq̃ ille conticuit, cautum eſt e Senatu conſulto Vincentiã nõ tradere, ſed apud Põtificẽ præfari ueniã, & omnia polliceri, quæ alioquin uſui ſunt. Et quoniã pax fieri non poterat, ad inducias redacta res eſt, et illæ tandẽ auctore Franciſco foſcaro oratore ueneto in mẽſes decẽ eo modo factæ ſunt, ut ratione pacis futuræ Veneti darẽt Regi Maximiliano Florenorũ rhenẽſiũ quinquaginta millia ſimul ac ille inducias ſanxiſſet. Dũ iſta in Italia geruntur, in hiſpania & anglia belli aduerſus gallos magni apparatus fiebãt. Nãq; Rex hiſpaniæ ad Perpignanũ in galliã, & Rex ãgliæ ad Genam in Normandiã moliebãtur irrũpere. Contra Rex gallorũ cũ Pontifice agebat de pace, & pollicebatur Bononiã et Ferrariã, atq; identidẽ Andreas Grittus de pace cũ Venetis clanculũ quæſitus eſt, & ſupra omnes heluetii, ſimul ac ad illos uenere galli tres oratores nobiliſſimi Baylius mienſis, Marchio rhotolinenſis, & Doctor alius, qui ſumma ope obnixi ſunt duces aliquot pecuniis corrũpere, & heluetios contra Regem angliæ ſeducere. Sed tantum abfuit, ut galli oratores expulſi ſint, & heluetii potius bellũ moliri uiderentur

tur, quatenus decem oratores heluetii ad eam rem Romã & Venetias ibãt. Igitur galli rati agendũ uiribus primo quoq; tẽpore feſtinare, parare, facere omnia quæ uſui ſunt, deniq; traiecto Pado ad Brixellum contra hiſpanos uerſus Bononiã ibatur, & cum uentum eſſet ad oppidũ Finarium, quia haud procul ad Centũ oppidũ ultra Rhenũ fluuiũ caſtra hiſpanorum ſita erant, ceptũ frequenter eſt leuibus certaminibus contendere, & nuper galli nimiũ confidenter inſidiis uſi ſunt. Nãq; conuenere cum excubiis hoſtiũ noctu incautos hiſpanos aggredi, & illis relatũ eſt, anteq̃ fieret, atq; ideo cum cautis infœliciter agebatur & galli ad quattuor millia hominũ, qui flumen repente traiecerãt pleriq; abſumpti ſunt. Ea uictoria hiſpani potius debebãt inſoleſcere, & tamen contra fiebat, quia galli ut antea ſumma ope nitebãtur manũ conſerere, & hiſpani certamen ſummopere detrectabant. Vnde etiã receſſũ eſt ad forum Cornelii urbem, quæ nunc Imola dicitur, atq; identidẽ operabãtur omnibus modis locũ munire, ut propter difficultatẽ loci, galli hoſtes cogerẽtur differre prælium in tẽpus aliud. Sed tantũ abfuit, ut ſtatim ad illud uentum ſit, ſimul ac hiſpani uident Rauẽnæ proſtrata mœnia tormẽtis militiæ, & oppidanos nõ poſſe ãplius obſiſtere Duci Ferrariæ, qui cũ quadringentis militibus, & ſex millibus peditũ eã rem acriter agebat. Igitur ea neceſſitate hiſpani cõpulſi ſunt pugnãdi copiã facere, atq; deinde collatis ſignis pugnabatur. Et q̃dẽ atrox cer

tamen fuit quantũ unq̃ aliud, quia paribus animis & uiribus utrinq; concurſum eſt. Galli mille quingenti milites, & quatuordecim millia peditũ erant. Hiſpani mille octingẽti milites, & duodecim millia peditum. Accedebat utrinq; uincendi, aut moriẽdi uoluntas mutua, quiſq; locũ ſeruare, qſq; nuſq̃ hoſti cedere, quiſq; male mori, q̃ ignominiã pati. Itaq; p̃ ſex horas continuas agebatur, & adhuc nuſq̃ uictoria inclinabat. Sed poſtq̃ ea quæ in urbẽ Rauennã prius erãt tormẽta militiæ in hiſpanos cõuerſa ſunt, de illis magna cædes ædebatur et multi cõtriti ſũt, deniq; omnes alii fugerunt uicti tormẽtis militiæ, & apud gallos ſtetit non incruenta uictoria. Adeo in incerto res erat, quænã paſſæ magis eſſent, an uictæ, an uictrices copiæ. Pugna uero raro ulla magis ſæua, & cum utriuſq; partis pernicie clarior fuit, ut propius periculo fuerint, qui uicere, q̃ qui uicti ſunt. Nãq; in eo bello uiginti millia hominũ cæſa feruntur, ex gallis ſeptingẽti milites, & ſex millia peditũ, ex hiſpanis octingẽti milites, & ſeptẽ millia peditũ, atq; inſuper legatus Cardinalis medices, & qui apud ipſum orator Venetus agebat Marinus georgius, Fabricius columna, Petrus nauara, & Marchio Piſcariæ, cum multis aliis in hoſtiũ poteſtatẽ facti ſunt. Sed adhuc maior gallorũ iactura fuit, quia multi equeſtris ordinis, & Regis centũ quinquaginta nobiles, ductores militũ quinq;, & ſeptem præfecti peditum deſiderati ſunt, & ſupra omnia dolenda mors uenit Domini de

ſpis, cuius in eo bello maxīe uirtus emicuit. Nāq; ille pedeſter in millibus egit uiriliter, & cū multā ſtragem hoſtiū ædidiſſet, morte non inulta occubuit, atq; inde eius funus celebre & lachrymoſum fuit, & cum magna pōpa uſq; Mediolanū ductū eſt, et merito poſita honorifica monimēta, ut omnes ſciant eos diutiſſime uiuere, qui honorificentiſſime moriūtur. Secundum eam pugnā uicem Regis qui in caſtris gerebat Ceſenā urbem aufugio conceſſit, & identidē hiſpani omnes alii in proximas ciuitates abiere, atq; omnia impedimēta & tormēta militiæ prædæ hoſtibus relicta ſunt. Vrbs quoq; Rauēna, quæ prius ui capi nō potuit, poſtea deditionē fecit, dum ſic putat ſuas res oēs ſaluas fore, ſed fruſtra hoſtibus habita fides eſt. Nāq; illi cuneo repente facto p muri ruinas in urbē uenerūt cuncta uaſtare, prædari, ſubuertere, ſæuire in pueros & mulieres, templa Deorum ſpoliare, & Chriſti corpus in terrā proiicere, deniq; quaſi ui capta ciuitas eſſet omnia prædæ militibus fuere. Et ãm plius uicinæ ciuitates res nouas moliebātur quātum gallorū exercitus procedebat, et tandē deditione etiā Rauēnæ caſtellū in hoſtiū poteſtatem uenit, ſimul ac Marcus antonius colūna, ne periret inedia, abire cōpulſus eſt, & cū militibus uerſus Romā impune diſcedere. Parte quoq; alia Venetis ſimul cum Ferrarienſibus frequēter res erat. Nāq; illi per fluminū diuerticula ubiq; infeſti ſunt, dum modo cum lembis et manu prædatoria uſq; ad Bebias & Caput aggeris

prædari uolunt, & ſæpe etiam cum uniremibus & maioribus nauigiis oppida maritima pertētant cape. Contra citi Veneti cum claſſe fluuiatili lemborū & uniremiū cuſtodias locare, ordines diſtribuere, hoſtibus obuiā ire, et ubiq; ſociis auxilio eſſe. Nuper uero claſſes ambæ apud Lauretū factæ obuiā ſunt, nō tamen aliter q̃ tormētis militiæ certamē fuit, quia cū hoſtes plures eſſent, Veneti aliter illos aggredi noluere. Nihilominus parte alia per mare nauigiis uiciſſim agebatur. Nāq; Bonamicus ferrarienſis pyrata cum duabus uniremibus & cymbis uiginti quinq;, a Clodia uſq; Ariminū totū mare infeſtū reddebat, ut ne tabellarii quidem tuti ſint, & mercatores pauci ſunt, qui manus hoſtiū poſſint ſubterfugere. Cōtra tamen ſtabat Andreas cōtarenus præfectus claſſis padanæ, & cum una biremi, duabus uniremibus, cymbis decem oblongis, & breuioribus quattuor, ſæpe hoſtibus obuiā ibatur, ut illi aliqñ nō impune prædati ſint. Igitur frequēter uario euētu ad Padi hoſtia pugnabatur, dum hoſtiū mens eſt mercatorias cymbas & maiora nauigia intercipere, & contra Veneti ſociis auxilio ubiq; ſunt. Parte quoq; alia ſæpe identidē ad Turrim nouā in Atheſi flumine cum ferrarienſibus res erat. Et quia ille locus antemurale Venetis eſt, interciſa itinera ſunt, obducti aggeres, & poſita præſidia, ut Caput aggeris & Betiæ tutæ ſint. Sed hoſtes terra mariq; potentiores erant, & nuper uſq; in portu Venetiarū nauigia et multas merces cepe-

runt, & amplius quia rhodigiana polleſinus frumẽti & frugum diues eſſet, & parum cuſtodiretur, Iulius taſinus cum manu prædatoria ferrarienſium & germanorum, totam regionem prædatus eſt, & antequã præfecti Veneti qui aufugerant, & Aloyſius bembus præfectus leuitũ cum manu collectitia in eã expeditionẽ exiret, hoſtes ĩde impune redierũt unde abſceſſerãt. Poſteaq̃ uero ea quæ in caſtris apud Ra uennã geſta fuerant, Romã delata ſunt, tanta omniũ rerum Pontificẽ deſperatio cepit, ut in pace cũ Rege gallorum, aut in ſola fuga ſpem ſitam haberet. Nãq; non minus domi q̃ foris hoſtes erant, quatenus de Duce Vrbinate dubitabatur, & a Proſpero columna, Ruberto urſino, Petro morgana, Rentio mancino, & coniurationis cõplicibus palã contra Pontificẽ ibatur. Accedebãt tanta odia romanorũ procerũ in Pontificem, ut ne amplis quidẽ cõditionibus honorũ, & frequentibus hortationibus flecti poſſet. Et quod plus eſt has partes hiſpani fouere uidebãtur, & neceſſe erat Põtifici Regi hiſpaniæ ſe credere, atq; Neapolim, aut Caietam abire, quia alioquin Venetiæ incõmodiores eſſent. Igitur tandem Pontifex non ratione ductus & conſilio, ſed indignatione & timore cum Rege gallorum pacis conditionibus ſubſcripſit. Sed quia nullũ uiolentũ perpetuũ eſſe ſolet, poſtea identidẽ ea omnia non ualuiſſe uiſa ſunt, ſimul ac Pontifex uidet Romæ, omnia cum Vrſinis & Colũnenſibus eſſe compoſita atq; Vrbinatẽ Ducem cum Venetis & hiſpanis ſedis

apoſtolicæ patrociniũ ſuſcipere, & ſi etiam opus eſſet germanorũ peditũ decẽ millia ſubſidio fore. Aliter et ſi confractæ gentes hiſpanæ Neapolim abiiſſent, ſolæ Ducis Vrbinatis copiæ quadringenti milites, & ſex millia peditũ, ad recuperandã Flaminiã ſufficere uidebãtur. Nãq; ab exercitu gallorũ Mediolanũ uerſus ibatur, quia heluetii iterum in eam expeditionẽ exibant. Iam uero heluetii ad uiginti millia hominũ per Tridentũ Veronã uenerant, ut facile Venetis iungi poſſent. Sed quia plusq̃ conuenerãt ſupra ſex millia hominũ erant, primo quoq; tempore ſuper dandis pecuniis difficultas orta eſt, & heluetii opum uacui uiſi ſunt uelle ad gallos deſciſcere, niſi ſtatim Veneti quodecim millibus nummũ cum illis egiſſent, ne amplius in incerto res eſſet. Poſtea Veneti feſtinare, parare, facere, uaſtatores accerſcere, currus & cõmeatus colligere, leuigare itinera, deniq; Venetorũ omnis exercitus traiecto Atheſi flumine ad Alboretũ confeſtim conuenit heluetios ad Vallegiũ, ubi primo cum hoſtibus geſta res eſt. Nãq; Veneti equites qui uiſum ibant, quid hoſtes agant, forte illis obuiã facti ſunt, et quia hoſtium quinquaginta equites uincebantur, ſtatim illis ducentorũ equitũ ſubſidiũ uenit, redintegratumq; præliũ eſt, & heluetii parabant confligere, niſi Sedunẽſis legatus ægre tamẽ receptui ceciniſſet, quia uenetæ copiæ lõge diſtãt, et multo itinere feſſæ ſunt. Deinde contra Vallegiũ & caſtra hoſtiũ ibatur, qui octingẽti milites, mille leuites, & nouẽ millia pe-

ditum erant, & deſtituto Vallegio ſub ordinibus militiæ ultra amnē Mintiū ſtabant. Sed cum primū hoſtes uidiſſent Venetos omnes milites uerſus amnem feſtinare, & tormentis militiæ frequenter cōcutere, protinus loco receſſū eſt ad duo millia paſſuū, & ſic retro continue paulatim ibatur, ut fruſtra beluetii ad ſeptem millia hominū traiecto repēte flumine pugnandi copiam facerent, & identidē amnē uadati lenites Veneti ubiq; hoſtibus infeſti eſſent, quia cōfracto ponte Venetorū alioquin omnis exercitus negabat amnē traiicere. Et tamen merito illa dies Venetis fœlix habita eſt, quia tunc primū galli hoſtes uiſi ſunt ſe in fugam conuertere. Igitur hoſtes poſtridie uſq; ad Pontēuicū per triginta quinq; millia paſſuū citato agmine perrexere, ut facile daretur intelligi beluetiis, cum hoſte pugnādi copiam nuſq; amplius fore, q̃uis illi et Veneti ad eam rem ſemp hoſtiū ueſtigia ſequerētur. Cæterū neq; ad Pontēuicum hoſtes auſi ſunt conſiſtere, ſed diruto ponte & caſtello igne ſuppoſito repente uerſus Cremonā urbem ibatur, & cum illa gallos noluiſſet excipere, illi feſtinabāt Padū trāiicere, & ad Picegatoniū oppidū ſitum iuxta amnem Abduā uenere. Veneti uero cum beluetiis ad fanum Martini prope Cremonā erant, & quia uenerat in quæſtionē an fœderis, an Venetorū in fidem urbem recipiant, de ea re frequenter agebatur, & deniq; Cremonēſes quadraginta millia numū beluetiis dederunt, atq; olim Ducis Ludouici filii, & fœderis partes

deris partes ſecuti ſunt. Deinde uerſus hoſtes Veneti milites ibant ſine heluetiis, quia Sedunēſis legatus ex Cremona in caſtra nōdū redierat, & cū ad aquas nigras prope amnem Adduā haud longe ab hoſtibus ſtaretur, galli ducēti milites Venetos leuites conſe- ſtim aggreſſi ſunt, ut magis terror q̄ pugna fuerit, ſicut illis ſolet accidere, quibus impremeditata res euenit. Nāq; cū Venetis ſolis leuitibus agebatur qui prœliū conſeri nolebāt. Itaq; certando Venetorū de- cem eqtes, et hoſtiū octo milites inuicem capti ſunt, & clade ferme pari, ab utraq; parte diſceſſū eſt. Se- cundū eam qualēcūq; pugnā Veneti cū heluetiis pa rabāt amnē Adduā pōte iungere, & hoſtē inuadere. Galli uero tantam uim non expectandū rati protinus abiere ad fanū Iacobi Padū traiicere. Poſtea gallorum maxime declinare uiſa res eſt, ceperūtq; ciuitates & cuncta oppida res nouas moliri, atq; identidē domi foriſq; cōtra gallos hoſtes truculēter ibatur, ut multi ferro abſumpti ſint, & Mediolani præſertim de gal- lis magna ædita cædes eſt. Nāq; præter illos, qui in caſtellum aufugerāt, omnes alii cæſi ſunt, & illorum omnia prædæ Mediolanēſibus fuere. Itaq; propediē pro Pōtifice habita eſt Parma et Placētia, et pro Ma- ximiliano Duce ſfortia Mediolanum, Cremona, atq; Ciſalpinæ galliæ omnia recepta ſunt. Et amplius Mō- feratenſis Marchio in gallos regionē conciuerat, & paſſim ſuper montes etiam omnes infeſti ſurrexerāt, atq; ideo gallorū omnis exercitus Papiā urbē diuer-

tit, & quia alioquin ſtatio ſatis fida non eſſet, eam ſumma ope conabãtur munire, amplã foſſam ducere, propugnacula erigere, murum e terra cõgerere, & omnia quæ oportet facere. Iam uero Veneti & heluetii ad Ticinũ amnẽ uenerãt, & tormentis militiæ acriter agebatur. Nãq; noſtri parabãt amnem traiicere, demoliri Papiæ pontẽ lapideũ, & hoſtibus iter occludere. Contra hoſtes ex urbe Papia facti obuiam conabãtur tranſitũ uetare. Sed tantũ abfuit, ut ſtatim noſtri amnẽ traiecerint, et hoſtes redierint unde abſceſſerant. Deinde ad urbẽ belli uis maior incubuit, & primo quidẽ Baldaſar ſcipionius cum centũ quinquaginta græcis equitibus iterũ iterũq; repulſus eſt, deniq; uero ille cum heluetiis urbem cepit, ſimul ac hoſtes in fugã cõuerſi ſunt. Et quia in hoſtes utebatur uictoria extra urbẽ etiã de illis magna cædes ædebatur, & ſeptẽ maiora tormenta militiæ capta ſunt. Uſq; adeo hoſtes feſtinabãt ad Baſſignanã Padũ traiicere, Haſtem urbẽ petere, atq; ignominioſe in galliam repedare cũ tanta fuga, ut multi etiã Padi uorticibus abſumpti ſint, & qui palãtes ſupererãt occidebantur, quia agreſtes etiam inter eundũ contra gallos irruperãt, & maxime extremis infeſti aderãt. Poſtea paſſim oratores cõfluebãt in noſtra caſtra deditionem facere, & Sedunẽſis legatus ſuam ciuitatẽ fecit Vigeuiũ. Nuper quoq; domo profecti multi heluetii ligæ griſſæ uallem Tollinã ceperunt, & parabãt oppugnare Chiauennæ locũ, ſimul ac alii heluetii ad

ſex millia hominũ Lucherna locum expugnaßet, quã ambo e quattuor, duo loca ſunt, quibus itur in Italiam, & ãplius heluetiorũ alia uiginti millia moliebantur in Burgundiam irrumpere. Per idem quoq; tempus Ioannes maria fregoſius ex caſtris Venetis cum ala equitum, & acie peditum, Genuam uenit, & cum ſuæ factionis quattuor millibus hominũ urbem ingreſſus eſt. Monſeratenſis etiam Marchio cum quinq; millibus hominum in expeditionem exiuit, & identidem ciuitatem Nouariam in fidem accepit. Aliter inter Venetos & heluetios ſemina diſcordiæ coniecta ſunt, ſimul ac centum ſexaginta milites Florentiæ ſub fide data Sedunẽſis legati in caſtra Venetorum uenere. Nãq; Veneti pedites conſeſtim illos diripere auſi ſunt, quatenus & heluetii illud idem uolebant facere, quod ipſe Sedunenſis legatus aliis publicis litteris fieri mãdabat, quia nimium ſero illi milites Florentiæ a gallis deſciuerant, quandoquidem tum primum galli Calendis Iulii partim monte Geneurio, & partim monte Seneſio in galliam ibant. Verum ea re multum mali Venetis acceßum eſt. Nãq; præter illud quod Veneti ad uillam Adornam prope Papiam deinduſtria igne ſuppoſito multũ paſſi ſunt, nuper quoq; heluetii ignominia Venetos affecere. Siquidem cum ultra Padum ad Caſtellaciũ itum eßet, & forte de pecuniis Alexandriæ duriter ageretur, ambo legati Paulus capellus, & Chriſtophorus maurus cum Andrea Mocenico protonotario

ducti ſunt primo ad ducem Iacobum ſtapherium, & deinde ad Sedunenſem legatum, apud quem ſtando dum cœnat, ualde ridiculi habebantur, & deniq; coacti ſunt ſuper dandis ſex millibus numum in portionem prædæ Florentinorum militum, ſuam fidem heluetiis adſtringere ſi uellet bona uenia ſe redimere. Atq; ãplius cũ legati ex Alexãdria paleæ quinta hora noctis rediiſſent in caſtra ad Caſtellacium, & ingentem tumultum exercitus ſedaſſent, qui ex ſua captiuitate ortus erat, Vincentius cauatius nomine Sedunenſis legati ad illos uenit poſtridie, & importune flagitabat promiſſa ſex millia numũ, & ad ſupplementum menſis præteriti quatuordecim millia, atq; inſuper menſis præſentis ſeptuaginta millia, & adhuc Sedunenſis legatus uolebat ad montes uſq; Venetos abducere, & mutare Marchionẽ Saluciarum, & Ducem Sabaudiæ, quia gallicæ factionis uiderentur. Contra Venetis ea ualde moleſta res erat, quia illi potius parabant propediem in expeditionem exire aduerſus urbem Cremam & Brixiam, quæ in gallorum poteſtate adhuc erant. Et quidem datis ſex millibus numum rhenenſium, & aliis duobus millibus in Venetam portionem, ſuper pecuniis aliquantiſper difficultas ceſſauit. Sed ſuper diſceßu Venetorum cum Sedunenſi legato quæſtio fuit diutina, & tandem eo inuito cum toto exercitu repente receſſum eſt, & noctis ſilentio uerſus Padum amnem magnis itineribus ibatur. Cæterum cum primum Ve-

neti prope urbem Placentiam ſitam ad Padum amnem ueniſſent, multæ difficultates ortæ ſunt, quia Sedunenſis legatus frequenter diebat fore, ut illis abeuntibus omnia infeſta redderentur, ſicut ipſe per ciuitates cunctas fieri mandabat, quatenus Veneti præter opinionem ſuam abiiſsent. Igitur Veneti demum uiribus uſi ſunt lembos omnes intercipere, pontem facere, & ad cauæ Abbatiam Padum amnem traiicere, unde poſtea contra Cremam, atq; urbem Brixiam partitis copiis in expeditionem ibatur. Neq; tamē interea apud Cremam & Brixiam pacatæ res erant. Nāq; contra Cremam ſtabant ciues Cremenſes exiticii cum quingentis peditibus, & Andreas ciuranus præfectus cum ducentis leuitibus, atq; uario euentu frequēter pugnabatur. Et identidem apud Brixiam ſæpe cum hoſtibus res erat, dum illi trecenti ſupra quattuor millia hominū paſſim prædari uolunt, & contra ciues Brixienſes exiticii cum ducentis militibus, & duobus millibus peditum, ſimul cum Leonardo bemo præfecto, & quadringentis leuitibus, ſemper conantur obſiſtere, & nunq; ceſſant hoſtibus obuiam ire, atq; ſociis auxilio ubiq; eſse. denīq; collectæ copiæ ſunt, & pene ciuitas obſidebatur. Nāq; aquas omnes ſubſtulerāt præter illas, quæ adimi non poſsunt, quia in ciuitate naſcuntur. Hoſtes tamen propterea non deſiſtebant frequenter exire, & prædas agere. Sed nuper apud Padernum uillam illi nō impune ſua ſæuitia in pueros et mulieres uſi ſunt.

Nãq; cum Leonardus bemus, & Duces militum, illis obuiam ueniſſent, ſtatim conſertum atrox prælium eſt, quod aliquandiu anceps fuit, ſed deniq; apud Venetos ſtetit uictoria, atq; ducenti hoſtium cæſi ſunt, & centum quinquaginta in Venetorũ poteſtatem uenere, de quibus omnibus truculenter etiam agricolæ uoluerunt ſupplicium ſumere, & illatam iniuriam ulti ſunt. Dum ea militiæ geruntur Romæ ceptum eſt concilium fieri, ſupplicationes habitæ cũ magna pompa & cærimoniis conſuetis, atq; in eius ſeſſione ſecunda publice proclamatum fuit, quẽadmodum etiam Rex angliæ initum fœdus ingreſſus eſt. Nuper quoq; Ioannes cola Germanus orator Venetias uenit, & nomine Cæſaris deſideratas inducias ſanxit. Dux uero Vrbinas Rauennam, Bononiam, & totam Flaminiam iterum Pontificis in fidem receperat, & cum relatum eſſet Pontifici quæ contra gallos per Venetos & heluetios geſta ſunt, ille Viceregem hiſpaniæ, qui cum exercitu alioquin ex Neapoli in expeditionem exibat, confeſtim certiorem fecit, ut longius non accedat, quia amplius ſua opera opus non eſſet. Nãq; Pontifex Parmam & Placentiam uolebat in ſuam poteſtatem redigere, quod fore etiã facile uidebatur, niſi hiſpani obuiam eant, quibus ea ualde moleſta res erat. Et primo quidem de ea re uerbis agebatur, deniq; hiſpani uiſi ſunt uelle alioquin uiribus agere. Igitur tandem Pontifex cõtentus fuit tranſitum dare, ſimul ac hiſpani polliciti ſunt

propterea pecunias amplius non exigere. Heluetiis autem quia gallos Italia expulerāt, Pontificia uexilla tradita ſunt, & illis nomen inditum, ut poſthac appellentur auxiliatores libertatis eccleſiæ. Per idem tempus ſub fide Pontificis Alphonſus Dux Ferrariæ Romam uenit, & uenia dignus habebatur, donec ſua demerita fateretur, & polliceretur Pontificis iuſſa omnia ſemper faceſcere. Sed tantum abſuit, ut ille poſtea rebus incompoſitis aufugerit, & tandem impune repedauerit in Ferrariam, quia fruſtra Pontificii & Veneti terra mariq; eum intercipere conati ſunt, ſimul ac Fabricius columna comes eſt. & illi etiam hiſpani clanculum auxilio parati ſunt. Nāq; illi trecenti milites, mille leuites, & ſex millia peditum, uſq; Bononiam uenerant, & quod peius erat apud Mantuam cum Gurgenſe Epiſcopo contra Pontificem Venetos & heluetios agebatur, ut ipſe Gurgenſis Epiſcopus ſummæ rei Mediolanenſium præſit, & ciuitates etiam obtineat, quæ ex fœdere Venetis debebantur. Hinc multæ difficultates ortæ ſunt, & peius etiā mēſis bellum gallicū inſtare uidebatur. Adeo frequenter ex bello in bellum protrahimur, & quo ſe ingerat diſcordia aliquem aditum ſemper habet. Igitur hiſpani et heluetii meditabantur concurrere, & quidem ea Pontificis quæ Venetorum & heluetiorum mens erat, ut omnia pacata forent, Maximilianus sfortia Mediolani Dux eſſet, Pontifex haberet Haſtem, Parmam, & Placentiam, Veneti ſuas urbes

reciperẽt, & heluetiis cederet Vallis tollina & Dõ-doſſola, quæ e quattuor duo alia loca ſunt, quibus in Italiam itur. Aliter hiſpani omnia in quæſtionẽ uer-tebant, ut facilius quibuſlibet conditionibus Regi ro-manorum cum Venetis pax eſſet. Nãq; Romæ per Oratorem hiſpaniæ & germaniæ de pace iterum agebatur, & hiſpani uolebant, aut Ven tos ciuitates ſuas in manu Pontificis ponere, aut deſiſtere oppu-gnare Brixiam tantiſper dum optata pax fieret. Sed utrunq; incõgruum habebatur, atq; alioquin hiſpani opum uacui acceptis pecuniis ducti ſunt pauliſper Florentiam diuertere. Et primo quidem apud Pratũ oppidum Florentini hoſtes ad quinq; millia hominũ cæſi fuſiq; ſunt, ui captum oppidum eſt, & Lucas ſa-bellus cum centum quinquaginta equitibus in hoſtiũ poteſtatem uenit, atq; poſtremo ex Florentia cedẽte Petro ſodorino cõfalonerio Magnificus Iulianus me-dices in eius locũ ſuffectus eſt, et cũ ea pacta res eſ-ſet hiſpani uerſus Brixiã in Venetos feſtinabãt. Iam uero Veneti ꝓpe Brixiã ad Portã Ioãnis caſtrame-tati fuerãt, et tormẽta bellica ingẽtia [illegible] mõtem ſub-duxerãt, qui e regiõe caſtello ciuitatis ĩminet. Dein-de feſtinare, parare, facere, et tormentis militiæ ſem-per agere. Contra hoſtes nihil ueriti præ mœnibus ſtare, Caſtellum munire, aggerem ducere, & ſæpe etiam eruptione facta manum conſerere. Itaq; fre-quenter marte ancipiti certabatur, ut ſemper fieri ſolet, quando in propinquo hoſtis eſt. Aliter Veneti

apud Cremam potius quam armis obſidione & ſuaſione utebãtur, ut Benedictum cribrarium cuſtodem urbis datis muneribus ad deditionem compellant. Et quamuis idem tentaret contra fœdera Sfortia Laudenſis Epiſcopus, ille tamen a Venetis & Laurentio cerinate tandem muneribus uictus eſt, & in eam ſententiam etiam uenit Dux gallus Dominus Duraſius, cui arcis fuerat demandata cuſtodia, ſimul ac alioquin timet deuenire in manus heluetiorũ, qui ad quattuor millia hominum in eam expeditionem exibant, niſi mutaſſent ſententiam difficultate rei, et uerbis accomodis, quibus Laurentius uſus eſt, poſtquam cum leuitibus haud longe a Crema illis obuiam uenit. Igitur Veneti arcem & Cremã urbem deditione ceperunt, & Benedictus cribrarius cumulatus muneribus, & ciuitate donatus eſt. Dum ea foris et militiæ geruntur, multi Oratores ad heluetios uenerant, & agebãt de concordia, tanta eorum apud omnes nationes autoritas creuerat, ut inde pendere omnis uictoria uideretur. Et quidem Pontificis cum Rege hiſpaniæ & Venetis mens erat initũ fœdus reficere, Veneti uero ſoli tentabant noua fœdera, hiſpani ſimul & germani dando trecenta millia numũ ſemel, & quotãnis quinquaginta millia uolebant rem mediolanenſem Duci Burgundiæ cedere. Sed quãuis Mediolanenſium minores oblationes eſſent centum quinquaginta millium numum ſemel, & quotannis quadraginta millium, ut Maximilianus sfortia Mediolani Dux fiat, & helue

tiorum auſpiciis ſeruetur, ad eos tamen maxime hel- uetii declinabãt, dũmodo haberent Loures, Trinium & Locarniũ propugnacula. Itaq; heluetii tandẽ re- pudiatis aliis, cum Mediolanẽſibus apud Badam & Turregiũ fœdus ſanxere. Et quia donũ erga Vene- tos bene animati erant, ſtatim iubent, ut identidem foris fieret, & omnes pariter heluetii ad Venetos declinare uiſi ſunt, ſimul ac hiſpani contra mandata Pontificis in Mediolanẽſes et Venetos mouiſſent. Ve- neti uero ſumma ope nitebantur ciuitatem capere antequã hiſpani hoſtes accedant. Et primo quidem tormentis militiæ acriter geſta res eſt, & cum ma- gna pars muri procubuiſſet, Veneti confeſtim para- bant in certamẽ deſcendere, diſtributiq; ordines ſunt & parata cuncta utilia, atq; in primis illud curaba- tur, ut nocte intempeſta milites in urbem irent per portam pilarum, ſicut conuenerant cum cuſtodibus. Sed cum ea hoſtibus relata res eſſet, protinus de cõ- plicibus ſumptum ſupplicium eſt, & omnia Venetis imparata uiſa ſunt. Igitur ſtabatur, & deinde ex una Mediolanẽſes & heluetii uſq; ad amnem Oleum ue- nere, & ad Quinzanium uidebantur uelle flumen traiicere, atq; ex alia ad Gaidum oppidũ prope Bri- xiam caſtra hiſpanorum ſita ſunt. Poſtea pariter ab omnibus ceptũ eſt, ſuper deditione faciẽda cum gal- lis agere, nunc hiſpani, nunc mediolanẽſes & helue- tii, nunc Veneti nuncii ad eam rem Brixiam ibant & redibant. Et diu quidem actum eſt & tãdem re-

pudiatis aliis urbs Brixia hiſpanorum in poteſtatem uenit, & galli omnes cum ſuis rebus omnibus impune dimiſſi ſunt. Sic hiſpani cito uoti cõpotes fuere, quod Veneti milites facere per longum tempus nequiuerant, & ſpe ſua diutina fruſtrati fuerant. Sicut frequenter illis ſolet accidere, qui in rebus agendis nimium deſidioſi ſunt, aut forte potius nõ ea ui & diligentia ſed dolo malo acta res eſt, dum galli deinduſtria eo ſtratagemmate uſi ſunt ciuitatem potius hiſpanis tradere, ut fœdus initum diſſoluatur, & Veneti cum hiſpanis propterea diſcordes eſſent. Adeo ſemper facile fomenta diſcordiæ ſuggeruntur, ubi de dominandi facultate res eſt. Interea uero apud urbẽ Mantuam inter Petrum landum Oratorem uenetum & Gurgenſem Epiſcopũ frequenter agebatur de pace cum Rege romanorum, ubi Gurgenſis uolebat cõuenire cum Venetis, anteꝗ̃ Romã iretur, quod & Venetorum maxime intererat, quando alioquin Pontifex parum rationem reipublicæ habiturus eſſet, dũmodo concilium uetet, & obtineat Parmam & Placentiam. Aliter Veneti contra rem propriam ſimul cum Põtifice Gurgẽſem hortati ſunt Romam pergere, & deinde Romæ de pace agebatur. Et quia Veneti infitias ibant Vincentiã & Veronam Cæſari relinquere Gurgenſis & Andreas burgenſis mirati & conqueſti ſunt, Petrum landũ Tridenti & Mantuæ ubi cõmodius agebatur, de ea re ne uerbũ quidem feciſſe, quaſi ad rem factam iretur, & ſi ipſe neſcius non eſſe

Pontificē Regi germaniæ & hiſpaniæ datis litteris promittere, prolocutis conditionibus pacem fore, ut ſi aliter modo Gurgenſis agat, illi ualde periculoſum foret. Adeo multū refert quãdo facto opus eſt ſemper facere, & nunquam redit quæ præteriit ſemel occaſio. Poſtquam autem deſitū eſt de pace cum Venetis agere, Pōtifex diuertit ad hiſpanos & anglos, & cum Gurgenſe moliebatur nouum fœdus in Venetos facere. Et diu quidem ea res in quæſtionem uenit, & tandem anglus Eboracenſis orator noluit fœderibus ſubſcribere, quia res indigna uideretur, & ſimiliter hiſpani fecere, quia ſuper Ferraria difficultas erat, atque ideo inter Pontificem & Regem romanorū ſolūmodo contra Venetos nouū œdus initum eſt. Veneti uero legati in caſtris apud Brixiam cognitis iis, quæ Romæ ſingulatim fiebant, & quia illis hiſpani ſemper infeſti ſunt, motis repente caſtris ad Lacum benacū, & oppidum Deſantianiū feſtinabant, unde amnem Mintiū traiecerunt ad Vallegiū, atq; ad Tumbã prope amnē Atheſim uenere. Et quãuis ibi in manu ſua ſitum eſſet Veronã & Lemniacum capere, atq; hoſtes hiſpanos ducentos milites, & germanos mille quingentos pedites obuios intercipere, illi tamen noluerunt aliquo pacto facere. Adeo ſemper pacis ſtudioſi ſunt, et nunquam uolūt nouo bello præbere originem, dum ſemper ſperant hoſtiliter illos etiam non agere, qui hoſtes alioquin uiderentur. Dum ea in Italia geruntur, in gallia nouū bellum ortū eſt. Nãque ab hiſpano ualido

exercitu in regnũ Vaſconiæ truculenter ibatur, & iam ceptum erat ab anglis cum ualida claſſe centum nauium maritimũ bellum gerere, & naues hoſtium intercipere, et illi nuper etiam applicuerũt in Aquitaniã corruere, agros uaſtare, prædas agere. Et quoniam per idem tempus toto orbe terrarũ bellum uigebat, res ipſa poſtulare ſitum orbis uidetur, & eas gentes, quæ inuicẽ bella geſſerunt, q̃ pauciſſimis attingere. QVI RECTE DE ſitu orbis loqui uolunt in primis debent animaduertere, quomodo loca inuicẽ diſtent, & ad plagas cœli ſita ſint, quatenus alioquin dicere non ſufficit, in tres partes orbem diuidi, quas diſterminat Mare mediterraneũ, Nilus, & Tanais magna flumina. Et q̃dẽ huius rei Ptolemæũ et Pliniũ p̃cipuos auctores habemus, & ſicut noſtri inſtituti par eſt, illi quoq; totũ orbem ad plagas cœli cũ Aſtrolabio Meteoroſcopio & Sciothere meſiti ſunt. Et quia ultra Thulam inſulam tellus neſciebatur, ille ultimus parallelus ſeptẽtrionis fuit. Vnde tota latitudo conſtare dicebatur octoginta gradibus, & ſtadiis quadraginta millibus, ad Agiſymbam & Praſſum promontoriũ, quod uerſus auſtrum ſub hyemali tropico ſitum eſt. Et identidẽ longitudo tota habebatur centum octoginta gradibus, & ſtadiis ſeptuagintaduobus millibus, ab inſulis fortunatis ad Cattigaram & Sinarũ metropolim, qui duo mundi meridiani extremi putabantur. Deinde terra mariq; quærebatur, quomodo ſingula ſita ſint. Vrſa minor ad

ſeptētrionē in Ocellis cōperta eſt, in Arabia ad meridiem ſtella Canobus, atq; in india Taurus & Pliades, quæ ſtellæ circa æqnoctialē ſunt. Et quidā profecti peregre totam latitudinē fecere quadragies bis centena millia paſſuū, a littore æthiopici oceani ad Meroē quingēta ſexagintaduo millia paſſuū, inde Alexandriā duodecies centena millia, Rhodū quingenta nonagintaquinq;, Gnidon nonagintaſex millia quingēta Coum duo de quadraginta, Samū centū duodecim, Chion nonaginta ſex, Mytilenē ſeptuaginta ſeptē, Tenedon centū undecim millia, Sigeū ꝓmōtoriū uiginti quattuor millia qngēta, Os pōti trecēta uigīti quattuor millia quingēta, Carābin ꝓmontoriū trecenta ſexaginta duo, Os mæotidis trecenta uiginti quattuor millia quingēta, & hoſtiū Tanais ducēta ſeptuaginta ſeptē millia. De lōgitudine quoq; ita carptim loq par eſt, et qdē tota a fortunatis inſulis, uſq; ad ſeras protēditur, & duodecim horarū ſpaciis cōtinetur. Nāq; ab inſulis fortunatis, uſq; ad Euphratē fluuiū gradus ſeptuagintaduo numerantur, & gradus centū quinq; cum quinta, ab Euphrate ad ſeras ꝑ turrim lapideā, & quaſi tantundē lōgitudinis ſpaciū eſt, ſiquidē omnia deducantur ad ſitū æquinoctialis paralleli & ad uentum ſubſolanū. Sic enim identidē ab Inſulis fortunatis ad Cory promōtoriū centum uigintiquinq; gradus habentur, a Cory promontorio ad Aureā Cherſoneſum gradus triginta quattuor cū quattuor quintis, ab Aurea Cherſoneſo ad Zabas gradus uiginti

cum duabus tertiis, et totidē a Zabis ad Cattigarā, & deinde tota lõgitudo uſq; ad Sinarū metropolim complet gradus centū octoginta, & ſtadia per inſulā Rhodum ſeptuagintaduo millia. Porro quidā profecti peregre terra mariq; longitudinē quæſiuere. Et quidem maritimo itinere eam fecerūt ab India ad Columnas Herculis, ſicut placuit Artemidoro, quīquagies centena ſeptuaginta quinq; millia paſſuū, a Gāge amne oſtioq; eius, quo ſe effundit in eoū oceanū per Indiam Parthienenq; ad Myriandrū urbem Syriæ, ſitam in ſinu Iſſico decies quinquies quadraginta ſex millia paſſuum. Inde proxima nauigatione Cyprū inſulam, Patarā lyciæ, Rhodū, Aſtypaleā in mari Carpacio, in inſulas Laconiæ Tænarū, Lylibæum Siciliæ, Calarim Sardiniæ decies ſepties quinquaginta quattuor millia paſſuū, deinde gades decies octies ſeptuaginta quinq; millia paſſuum. Atq; aliquanto Terreno itinere & certior et comprehenſior eſt, a Gange ad Euphratem quinquagies centena uiginti unum millia paſſuum. Inde Capadociā in maζaca ducenta millia quadraginta quattuor. Inde per Phrygiā, Cariā, Epheſum quadringenta millia nonaginta octo, ab Epheſo per Aegæum pelagus Delum ducenta millia, Iſthmū ducēta duodecim, deinde terra et Laconico mari ſinuq; Corinthiaco Patras peloponneſi ducenta duo millia quingenta, Leucadē octoginta ſex millia quingenta, Corcyrā totidem, Acroceraunia centū triginta duo millia quingēta, Brunduſiū octoginta ſex millia quin-

genta, Romã trecenta millia ſexaginta, ad alpes uſq; Calcincomacum uicum quingenta & duo de uiginti millia, per galliã ad pyreneos montes Iliberim quingenta quinquaginta ſex millia, ad oceanũ et oram hiſpaniæ trecenta trigintaduo millia, & denũ traiectu gadis ſeptẽ millia quingenta. Vniuerſum hunc quoq; circuitũ Eratoſthenes ducentorũ quinquaginta duorum millium ſtadiorũ prodidit, quæ mẽſura Romana cõputatione efficit trecẽties quindecies centena millia paſſuũ. Et quidem paulo amplior ambitus terræ ferebatur ex epiſtola Dionyſiodori ad ſuperos ea ratione geometrica, qua colliguntur in circuitu ducẽta quinquaginta quinq; millia ſtadia, ſiquidem habentur a centro terræ, ad ſummum ſtadia quadraginta duo millia. Et nunc hactenus de mundo poteſt ſufficere, quando carptim identidẽ relaturi ſumus, quæ bella in partibus geſta ſint. Nãq; multi alioquin locuti ſunt, & ſatis eſt oculis ſubiicere totus orbis terrarũ quantus eſt, qui noſtrorũ temporũ Regibus non uidetur ſufficere. Nãq; nuper ab hiſpanis cũ magna claſſe ultra Columnas Herculis uerſus occidens per pluſculos menſes ibatur. Et primo quidem in inſulã uenere cui de hiſpano nomine nomen eſt, et deniq; nouus orbis apparuit, ubi ſemiferæ gentes edomitæ, & multa bella geſta ſunt. Pari modo uerſus Auſtrũ Rex Luſitaniæ cũ claſſe uſq; ad Caput bonæ ſpei per uiginti gradus ſupra Praſſũ promontoriũ terram cultam inuenit, & quotannis mercatũ aurum, argẽtum, aromata in

mata in Indiā itur, ubi hucuſq; continue bella gerū-tur, & adhuc in incerto res eſt, cuius tanta mercimonia futura ſint. Nihilominus in tota Armenia & Perſia ad arma cōclamatū eſt, ſimul ac Rex turcarū magnus Selim patre expulſo ſupſtite ſe intruſit in regiā & fratribus infeſtus eſt. Nāq; ꝑ quoq; tēpore fratrē alterū debellauit, q ſarmatis auxiliatoribus utebatur. Deide cōtra fratrē alterū et Sophenū Regē pſiæ cōuerſus eſt, & cū præliū cōſertū eſſet apud Thebrin primariā ciuitatē pſiæ Turcæ uicerūt, & urbe etiā potiti ſunt. Poſtea in Regulū mōtis amani cū parte copiarū ibatur, q adeo inſolēs erat, ut diceret ſe duas gallinas hēre, quæ duo oua quotidie parerēt, aureū alterū, et alterū argēteū, qa modo in Armeniā, modo in Aßyriā impune ꝑdabatur. Et qdē magna difficultas fuit eū in certamē cōpellere, quatenus eius in ſola fuga ſita ſpes erat. Ille tñ deniq; cū liberis & uigintiq; millibus hominū ītra mōtiū latebras inuētus eſt, & qa pene oēs erant agricolæ, de illis magna cædes ædebatur, & ſimul ac Rex eorū cū quatuor filiis in turcarū hoſtiū poteſtatē uenit, oēs crudeliter eneɛti ſunt, et āplius magnus Selim moliebatur totā Aſſyriā & Aegyptū ſubigere. Per idē tēpus bellū uigebat inter Pollonos et Moſcouitas, q olim dicebātur Daces et Sarmatæ, et magnis exercitibus hic inde uario euēte pugnabatur. Nuꝑ uero Sarmatæ ad quatuordecim millia hominū magnā ꝑdā egere, & apud Moncaſtrū oppidū ſitū ad mare maius in dacia idētidē parabāt

efficere, niſi protinus a dacis q̃to maximis copiis fieri poſſet illis obuiã iretur. Et q̃dẽ apud amnẽ Boryſtenem acriter geſta res eſt. Daces ad uigintiq̄nq; millia hominũ eq̃tes & pedites erãt. Cõtra Sarmatæ ad octoginta millia hominũ ſolũ in equo pugnabãt. Igitur atrox certamẽ fuit, dũ nihil utrinq; p̃termittitur quod uſui foret, ſed q̃uis ambæ nationes ualde fortes & bellicoſæ ſint, magis tamẽ dacis fortuna fauit, quia tãdẽ illi uictores fuere, atq; de ſarmatis magna æ dita cædes eſt, & oẽs alii ad trigita millia hominũ in fugam cõuerſi ſunt. Pãnones quoq; nequaq̃ bello exptes erãt, q̄a turcæ illis etiã infeſti ſunt, & Thininiũ oppidũ fauceſq; dalmatiæ ſemp̱ geſtiũt ſurripe, q̄a inde facile in totã p̄uinciã itur. Iam uero noua factio & ſeditio tota Europa inoleuit, ut populares cõtra ciues inſurgãt, & paſſim per ciuitates ſingulas frequẽter bella inuicẽ gerãtur. Ea uero labes p̄ in dalmatia orta eſt, deinde p̱ pãnoniã & germaniã diuertit in Foriũiulii. Sed eius belli uis maior incubuit in pannonia, q̄a Cruce ſignati cõtra legatũ Cardinalẽ Strigoniæ & p̄ceres hungariæ in magnũ exercitũ ſub nouo Rege Georgio Secbelio in expeditionẽ uenere. Et quidẽ illi animoſi uidebãtur donec Regis exercitus obuiã uenit. Nãq; poſtea facile Rex illos uicit & edomuit, atq; ãplius ſumpſit de ſeductoribus ſuppliciũ. Rex autem romanorũ cum Venetis apud amnẽ Atheſim & apud Rhenũ fluuiũ cum Duce geldriæ bellũ aſſuetũ gerebat. Longũ eſſet referre, quæ ab hiſpanis bella in

Aphrica geſta ſunt, quot diſiectæ claſſes inuicẽ, quot urbes captæ & receptæ, qui nã profligati exercitus, quoties inuicẽ dimicatũ ſit, atq; ãplius dicere, quæ bella geſſerit Rex Sophenus in india, & quẽadmodũ uicinos reges & nationes ſubegerit. Illud uero ſilẽtio inuoluendũ non eſt, quod bellũ ſolũmodo defuerat, ut ꝑ idem tẽpus toto orbe terrarũ bellũ eſſet. Nãq; nuꝑ hiſpani bello etiã tentabãt regnũ Vaſconiæ caꝑe, qđ ad Pyreneos mõtes, & ad oceanũ cantabricũ ſitũ eſt. Parte alia angli dicti olim britãni cũ claſſe centũ nauiũ cui Houardes p̃erat toto oceano britãnico uagabãtur, & nuꝑ etiã qnq; millia hominũ in ipſam cõtinentem impune magnã prædã egere, ſimul ac hoſtes ad qndecim millia hominũ noluerũt in certamẽ deſcendere, quia ut aiebãt, Regi gallorũ iuiti merebãt. Parte quoq; alia idẽtidẽ ad urbẽ Bononiã & Comitatũ boar ſub Marchiõis impio ꝑ totã Aqtaniã uſq; ad Pyreneos mõtes ibatur. Nãq; angli ad duodecim millia hominũ uerſus Vaſconiã parabãt gallis iter obſtruere, tantiſꝑdũ hiſpani ad ſex millia equitũ, et qndecim millia peditũ q ꝑ mediũ regni igreſſi ſunt, Põpeiopoli ciuitate metropoli et tota regiõe potirẽtur. Et ãplius ois hiſpanus exercitus ſub impio Ducis Albæ trãſmõtes uenit ad Pedẽ portus & ſaltus Rõciſuallis cuſtodiã. Cõtra galli mille milites, mille qngẽti leuites, et octo millia peditũ, ſub Delphinis gallorũ ipio feſtinare, parare, facere cũcta utilia. Et nuꝑ quoq; Dominus pallıſæ cũ decẽ millibus peditũ audacter aggreſſus

eſt ſaltũ Ronchale cape, q e tribus unus eſt, quo ex gallia in uaſconiã itur. Et quia Valdes hiſpanus cum octingẽtis peditibus ex oppido ſupra montẽ quod eſt loco cuſtodiæ protinus illis obuiã uenit cõſertũ prælium eſt. Et illud quidẽ diu atrox & anceps fuit, ſed tandẽ hiſpani uicti multitudine obtrũcato Duce in fugam cõuerſi ſunt, & quia in oppido cõmeatus nõ erat illud etiã reliquerũt in poteſtatẽ gallorũ hoſtiũ. Nihilominus atrox bellũ maritimũ geſtũ eſt, quia claſſis anglorũ, claſſi gallorũ obuiã uenit. Et quidẽ aſpa pugna fuit duarũ nauiũ qbus cõplicatis inuicẽ manicis & repagulis truculẽter acta res eſt, quia q̃ꝫtũ fieri potuit utrinq; uiribus agebatur. Sed cũ deniq; galli uincerẽtur, maluerũt ignẽ ſupponere, & ambæ naues cũ hominibus cõbuſtæ ſæuũ ſpectaculũ pbuere. Poſtea uero angli quia hiſpani parũ ſeruato fœdere Venetis moleſti erãt, atq; illis aeris intempies erat noxia, et graue tẽpus inſtabat ad traiiciẽdũ oceanũ, cõclamatis repente uaſis nõ ſine ſuſpitione gallorũ acceptæ pecuniæ hyematũ nauigarũt in angliã, & omnis hiſpanus exercitus in uaſconiã rediit, ſimul ac eorũ mẽs eſt, non ãplius pugnare, ſed hoſtibus obuiã ſtare, ut deinde gallis qui aucti erãt ad quadragita millia hominũ cum hyeme & aſperitate locorũ ſolũmodo res eſſet. Dominus aũt palliſæ cũ parte copiarum & cũ Ioãne expulſo Rege uaſconiæ ultra montes uenit, & prope Pompeiopolim ad quatuor millia paſſuũ caſtrametatus eſt. Et q̃ꝫuis ſolũmodo ſecũ ha-

beret minora tormēta militiæ, uoluit tamē urbē pe-
tere, et prouocare hiſpanos ad prælium. Sed tantū ab-
fuit, ut freqūter ſolūmodo leuibus certaminibus di-
micatū ſit. Et āplius parte alia cum galliæ delphinus
identidē cū copiis trās mōtes ueniſſet, et duxiſſet ad
ſaltū Ronciſuallis maiora tormēta militiæ non potuit
niſi Cātabros uexare, agros uaſtare, & p̄das agere.
Quia cōtra alioqn hiſpani ad triginta millia hominū
ſtabāt q̄uis nō ſimul, cū opus eſſet ciuitates etiā &
oppida cuſtodire. Igitur galli exp̄ti omnia & tandē
uicti hyeme & penuria cōmeatuū, dū nimiū feſtināt
recedere, relictis impedimētis tormētiſq́ militiæ, nō
ſine magna ſtrage, ultra mōtes fugerūt, et Rex hiſpa-
niæ tota uaſconia potitus eſt. Interea Romæ poſt no-
uum fœdus initū cōtra Venetos quarta ſeſſio fuit, in
qua & Gurgēſis ſedit, atq́ imp̄atoris nomine cōſenſit
abolere omnia acta Piſani cōcilii. Nāq; p̄pterea Gur-
genſis obtinuit monitoriū in Venetos, et Regis roma-
norū Brixiā fore, deinde abiit comitari Maximilianū
Ducem Sfortiā, qui tandē Calēdis Martii cū magna
pōpa urbē Mediolanū ingreſſus eſt. Aliter iam tū Pō-
tificē pœnitet nouū fœdus iniſſe, atq́ eo maxīe quādo
factus certior eſt apud Auinionē Cardinales exiti-
cios cōueniſſe de eligēdo nouo Pōtifice, qui uidebatur
futurus Cluniacēſis Abbas ordinis Benedicti frater
ſenior Cardinalis olim rothomagēſis uir doctus, ſa-
piēs, animoſus, pecunioſus, annoſus, ſimul ac Rex gal-
lorū cōueniſſet aut cū Venetis, aut cū heluetis, cum

quibus pariter de pace facienda frequēter agebatur. Cōtra Pontifex enixe curabat Venetos antecape, & fruſtra iterū agebatur de illorū cum Rege romanorū cōcordia, quia Veneti iam dudū de pace cum gallis egerāt, & adeo ad illā inclinabāt, ut Pontifex etiā ſi Venetis cedat Vincētia, non poſſet illos in ſuas partes diducere. Et q̄dē ille ad eā rem oratore Staphileo & ſuaſione frequēter utebatur, & tandem quia nulla ſpes ſupeſt, ille maxime præ triſtitia in grauē ægritudinē incidit, qua etiā demū interiit cū Ducem Vrbini ſtatuiſſet in Ducē Piſauri, & Cardinales de ſucceſſore monuiſſet, ut ſi ille laudādus non eſt, quia belli ꝗ̄ pacis ſtudioſior fuit, longa tamē rebus geſtis eius omnino memoria futura ſit.

ANDREAE MOCENICI .P.V.D.
LIBER QVINTVS HISTORIAE.

ANNVS BELLI quintus agebatur, quādo indemortui Iulii ſecundi Pōtificis locum Leo decimus ſuffectus eſt, cum nuper ex gallorū captiuitate Romam ueniſſet, ut omnes identidē in ſpem pacis futuræ ducti ſint, niſi ille alioquin propter habitum fauorem Romæ & Florentiæ hiſpanis nimiū obnoxius foret. Sed paulopoſt aliquantū ea opinio reſedit, ſimul ac hiſpani cum Duce Mediolani Pōtifici obuiā uenerunt Parmam & Placentiā capere, & amplius cum gallis agebatur de induciis, & nuptiis Ducis Burgundiæ cum filia Regis gallorū Rayneria, unde ingens periculum Italiæ imminere uidebatur. Quare Pontifex frequēter Venetos hortatus eſt, ſecum Florentinis, heluetiis, & Mediolanēſibus ſecretum fœdus inire, atq; interea dum res omnes omniū ſaluæ ſint in fœdus cum Rege gallorū non nimiū feſtinare, ut bene cedat Sedi apoſtolicæ et ipſis Venetis, quorum ſimiliter rationem ſemper habiturus eßet. Verum ea omnia fruſtra fiebant, quia iam antea nono Calendas Apriles a Venetis cum Rege gallorū apud

Bleſium per Andream Grittũ Oratorẽ clandeſtinũ fœdus ſancitũ erat, q̃uis poſtea undecimo Calẽdas Iunias ſupplicationes indictæ ſint, & fœdus publice proclamatũ eſt, quod gallis & Venetis melius etiam foret, ſi ſimiliter cum heluetiis pax eſſet. Nãq; alioquin nobiliſſimi oratores gallorũ Dominus Tremuliæ admiratus britanniæ, Epiſcopus marſiliæ, & Ioannes Iacobus Triultius eam rem cũ heluetiis amplis largitionibus egebant. Sed gallis heluetii nimium erant iniurii, quia cum multi pecunias accepiſſent, & declinarent ad gallos ceptum eſt ſemicuplum exigere, & exautorare qui prius ſenatores erant, & adhuc cum uillicis difficultas orta eſt, quia illi lamentabãtur ſe ferre onus diei & æſtus, & de tantis opibus nihil habere. Vnde turbati heluetii propterea uolebant etiam Cremonæ & Mediolani Caſtella, ut perdita opera & impenſa galli oratores deniq; compulſi ſint re infecta in galliam redire. Atq; eius rei nimirum cauſa fuit potiſſima fœdus initum cum Venetis quia heluetiis ea ualde moleſta res erat, quod et Põtifex ægre tulit, ſimul ac etiã Romæ innotuit, ut excuſatione opus fuerit, qua Franciſcus foſcarus orator agens apud ipſum frequẽter utebatur, & diebat ad eam rem Venetos olim cum Iulio Pontifice fœdus iniſſe, ut Italia Italorum eſſet, & ſicut antea unicuiq; redderetur quod ſuum eſt, nec unq̃ deſiiſſe rẽ ipſam iuuare pecuniis, armis uiriſq;, claſſe maritima & fluuiatili, tormentis militiæ, cõmeatu & omnibus

utilibus, quouſq; galli expulſi ſunt, & Maximilianus ſfortia Mediolani Dux eſt. Verum erga Venetos ſocii ingratitudine uſi ſunt, & contra formam fœderũ ſubtraxerunt Cremonam & Brixiam. Quæ quidem Venetis non poterant moleſta non eſſe, expectabatur tamen Romã Gurgenſem ire, cui Petrus landus orator comes ibat, ſimul ac Pontificis magnis pollicitis fides haberetur. Sed tantum abfuit, ut Põtifex ductus timore Piſani cõcilii poſthabitis Venetis partes Cæſaris ſequeretur, quia Veneti cõtenti non eſſent Regi Maximiliano urbes ſuas relinquere, mõtem auri tradere, & propriã libertatem ſubigere. Quæ cum ita geſta ſint omni diuina & humana ratione poſthabita Veneti ut par erat rebus ſuis cõſuluere, & quia antea Regis gallorum amplæ conditiones pacis proponebantur, quod ſolũmodo Venetis relinquebatur inde ſuffragium quæſitũ eſt. Sic proculdubio Veneti neceſſitate compulſi ſunt cum Rege gallorũ de fœderibus agere, & demum ſublato quod alioquin reipublicæ periculũ imminebat inducias anteuenire, quas galli cum hiſpanis nuper in annũ pacti ſunt. Quod ſi Pontifex potiusq; germanis & hiſpanis qui belli ſtudioſi ſunt, cum Rege gallorum initis fœderibus accedat, nihil prorſus deficere quin tota cito pacata Italia redderetur. Interea uero Liuianus cũ Theodoro Triultio e captiuitate gallorum Venetias uenit, & Patres illum elegerunt Imperatorem exercitus. Nãq; cum Rege romanorũ induciæ finierant, & oportebat

gallis obuiam ire, qui iam dudũ in Italiã feſtinabãt. Igitur Liuianus primo quoq; tempore contra Veronam mouit, Sed quia detecta cõiuratio fuerat, deinde relicta Verona uerſus Cremonam ibat cõtra opinionem eorum, quibus curæ magis reipublicæ ꝙ Regis gallorum aliena res erat. Ille tamen ſic fieri uoluit & dum cupit quanto maxime poteſt gallos obnoxios reddere, ſtatim iubet omnem exercitum ſub gubernatoris imperio paulatim ſequi, quia ipſe cũ parte copiarum ſemper anteibat, & inter eundum deditione recepit Vallegiũ & Piſcheriã. Vix autem cum exercitu Liuianus abierat, et ecce hoſtes germani ad duo millia peditũ & quingenti equites ex Verona mouerunt in Venetos, qui ſub Duce Sigiſmundo caballo et Ioanne forti apud Bonifaciũ morabãtur. Et quia Veneti pauci erant, facile uſq; Coloniã fuſi fugatiq; ſunt & cum hoſtes etiam Coloniam deditione cepiſſent, Ioannes fortis cum Sigiſmundo caballo in hoſtiũ poteſtatem uenit. Et amplius Vincẽtiæ ualde tumultuatum eſt, quia præſidio ſtabant non niſi duo de trigita milites, trecẽti leuites, & ſexcenti pedites, ſub Duce Ioãne Paulo mãfrono. Sed cũ multi agricolæ ſubſidio poſtea ueniſſẽt uis hoſtiũ repreſſa eſt, & contra illos acriter ſtabatur. Poſteaꝙ uero Liuianus ad Gãbarã oppidũ uenit, Cremonẽſes res nouas moliti ſunt et Venetos accerſcebãt. Sed dum in ea expeditionẽ protinus itur, Pallauicini quadragita milites, & duo millia peditũ pro Rege gallorũ auſi ſunt urbem anteca-

pere cum ſuo magno malo. Nãq; Liuianus ſtatim illis obuiã uenit. Pallauicinos fudit, atq; urbem iterũ ceſpit, & diripuit. Deinde quia Lauda ciuitas, urbs Mediolanũ, & omnia alia citra Padum ad gallos deſciuerant, datum negociũ eſt Laurentio cerinati cum parte copiarũ urbem Brixiã Venetorũ in fidem recipere, quæ & facile pridie Calendas Iunias deditione recepta eſt. Sed ſuper arce ſola uis belli & magna difficultas incubuit. Vires enim rei gerẽdæ impares erant, quia alioquin pars magna exercitus ad locum cauæ prope Padũ fluuium ſtabat, unde ponte facto poſſent traiicere & uenientibus gallis auxilio ſemper eſſe. Dum ea uero in Italia geruntur, in anglia & germania fœdus proclamatũ eſt contra gallos, inter Pontificem & Reges, romanorũ, hiſpanorũ, anglorũ, quãuis Pontifex eius rei neſcius haberetur, & Regis hiſpaniæ cum Rege gallorũ induciæ intercederent. Sed alioquin Orator hiſpanus, multi Cardinales, & Ioannes maria fregoſius Dux Genuæ uiciſſim conabantur facere, ut Pontifex Leo neuter non eſſet, qui aduerſus tantos impulſus in ſua æqualitate uelut cautes caucaſea adhuc imobilis ſtabat, quãuis illi etiã Parma & Placentia redderẽtur. Ideo uero Dux Genuæ gallis auerſus erat, quia Regi gallorũ non placuit ut ante conuentũ erat cum Liuiano & Triultio, ſimul ac Adorni pauciora petunt quã Fregoſii, & ſuper redimenda arce lanterna Genuæ non amplius in incerto res eſt. Sed dum ſuper his difficultas eſſet,

amplius quoq; orta eſt ciuilis ſeditio, quia ſpiculato-
res Ducis interfecerunt Comitē Fieſcum, unde a fra-
tribus Fieſcis cum ſua factione pro francia in Mon-
toium ſeceſſum eſt, quos ueritus Dux Genuæ ab hi-
ſpanis auxiliū implorabat. & illarū partiū factus eſt.
Cæterum anteq̃ tale præſidiū uenit Fliſci poſtridie
octauo Calēdas Iunias cum quatuor millibus homi-
num ex una porta, & ex alia Adorni cum totidem
hominibus ciuitatem ingreſſi ſunt & repulerūt mille
fregoſios, qui in foro illis facti obuiam erant. Vnde
Dux ipſe cum Ludouico & Fregoſino fratribus uix
potuit claßem conſcendere & in pacatū abire. Itaq;
fliſci & adorni pro francia ciuitate potiti ſunt, claſſis
gallorum etiam in arce Lanterna ſubſidiū poſuit, &
Antoniotus adornus in ducis expulſi locum ſuffectus
eſt. Iam uero galli mille quadringenti milites et qua-
tuordecim millia peditum cum muralibus & cāpe-
ſtribus tormētis militiæ ſub imperio Domini Tremu-
liæ & Ducis Albaniæ pergebāt obſidere ciuitatem
Nouariā, ubi cum quatuor millibus heluetiorū Me-
diolani Dux erat. Hoſtes autē hiſpani qui apud Pla-
centiā morabātur mille octingenti milites, & ſeptem
millia peditū feſtinare, parare, facere, & iungere pōte
amnem Padū ad Trebiā, ut heluetios conueniāt, qui
dicebātur ad quatuordecim millia hominū gallis ob-
uiam ex lacu lariū feſtinare. Sed dum hiſpani ſæpe
uidentur uelle padum traiicere, atq; ſuper ea re cum
Venetis frequenter res eßet, heluetii alii ad ſeptem

millia hominũ ſociis qui erant Nouariæ ſubſidio ue-
nere, & ſtatim ducti ſunt in ſpem futuræ uictoriæ,
quia galli nimium incauti ſtabãt, & inter equitatũ
& peditatũ limoſam paludẽ habebãt. Igitur heluetii
ea occaſione rerum bene gerendarũ acriter uſi ſunt,
et ſummo mane octauo idus Iunii cõpoſitis rebus cũ-
ctis ex ſententia cum acie numeroſa mouerunt cõtra
tormẽta militiæ, & ſimul cæteri omnes heluetii cu-
neo facto a lateribus gallos hoſtes adorti ſunt. Et qui-
dem atrox & diutinũ prælium fuit, quia utrinq; pro
uiribus agebatur, & nihil prætermittebatur, quod
utrinq; uſui fore uideretur. Multi utrinq; cadebant,
multi ſauciabãtur, truculẽtus clamor & ſanguinolẽ-
tus armorũ ſtrepitus ad cœlũ ferebatur. Et primo qdẽ
multi heluetii tormẽtis militiæ abſumpti ſunt & ce-
dere uidebãtur. Sed poſtremo illi magis magiſq; ob-
nixi uictores fuere, galli cæſi fuſiq; ſunt, heluetii uero
cum manubiis hoſtiũ uictricia ſigna reportarunt in
urbem Nouariã atq; impedimẽta gallorũ & tormẽta
militiæ. In eo bello heluetiorũ prima acies & omne
præſidiũ interiit. Apud gallos autem uentũ erat ad
triarios quando illi in fugam conuerſi ſunt. Secundũ
eam pugnã Veneti cõſternati animi ſtatim uerſus am
nem Atheſim ductabãt exercitũ, & quia ad retinẽ-
dum Brixiã uires non ſuppetũt, datum negocium eſt
Laurentio cerinati inde Cremã urbem abire, & ibi
quantũ in ſe eſſet rem uenetam protegere & defen-
ſare. Nãq; bello cõfractis gallis ciuitates & cuncta

oppida illico Mediolani Ducis in fidem recepta ſunt atq; inde hiſpanus exercitus qui ſpectatũ euẽtus rerum ad amnẽ Trebiã illucuſq̨ cõſederat, ſtatim ingreſſus Cremonã urbem diripuit, & frequenter minabatur Venetis bellũ inferre. Heluetii uero parta uictoria bene uſi ſunt, & hoſtem inſecuti quouſq; ille in galliam rediit. Veneti antem cum in pacatum ad Tombã prope amnem Atheſim ueniſſent, duo facere aggreſſi ſunt, alterum omnes ſegetes ex agro Veronenſi transferre Pataniũ & Tauriſiũ, alterum ſi poſſint inter eundũ Lenniacũ oppidũ capere. Et quidẽ facile ſegetes aſportarũt, ſed ſuper Lenniaco uis belli incubuit. Ioannes Paulus balionius cũ ſeptuaginta militibus, & mille ducentis peditibus in eã expeditionem exiuit, & cum uentũ eſſet prope oppidum, quia illud capu facile erat, ſtatim deditione facta in Venetorum poteſtatem uenit. Sed ſuper arce alioquin difficultas fuit quia opere munita erat, atq̨ amplius hiſpani & germani centnm quinquaginta pedites ad omnia agenda & obeũda ſemper intenti paratiq̨ ſtabant. Igitur primo tormentis militiæ utrinq; acriter agebatur, et qua parte oppidi forum eſt ictu alio ſuper alium mœnia quaſſabantur, & cum magna pars muri procubuiſſet cõmunus ad arma uentũ eſt. Veneti milites per ruinas muri conabãtur in arcem ire, & ubiq; hoſtibus infeſti erant. Contra hoſtes miſſilibus telis Venetos ſemouere, & nihil ſatis tutum munimẽtis pati, ſulphure tedis et elaboratis ignibus præfer-

tim agebatur. Deinde atrox certamẽ fuit, & Veneti pulſis hoſtibus arcem ingreſſi ſunt, atq; ea repente capta magnã cædẽ de hoſtibus ædidere. Capto Lemniaco cum toto exercitu cõtra Veronã iterum ibatur, tum quia Veneti ducti ſunt in ſpẽ urbis potiũdæ nunciis Veronẽſium, qui rebus uenetis ſtudebãt, tum quia urbis præſidio non erant niſi germani trecenti equites. & duo millia peditũ. Iam uero ceptum erat urbem tormẽtis acriter cõcutere ea parte qua uergit ad amnem Atheſim, quia in monaſterio Luciæ Veneti caſtrametati ſunt, & in ſuburbiis ad portam ciuitatis quæ uerſus Piſcheriã eſt, atq; Liuianus ſemper primus inter ea opera cum magno periculo intẽtus erat. Sed præter ſpem euenit quæ in deditione Veronẽſium ſita erat, quia illi res nouas moliri non poterant. Nãq; Germani milites animati urbem & ſemetipſos defendere præ mœnibus fortiter ſtare, tormentis militiæ frequenter agere, feſtinare, parare, facere cuncta quæ facto opus eſt, dum in propinquo hoſtis eſt. Veneti uero tormentis militiæ portæ proſtrata turri & magna parte mœniũ agmine facto repente ciuitatem aggreſſi ſunt acriter oppugnare, ſcalas admouere, murum aſcendere. Et quidem diu ancipiti marte pugnatum eſt, dum hoſtes maxime elaboratis ignibus fortiter obuiã ibant, & contra Veneti milites conabãtur in ciuitatem uadere, plures tamen Venetorũ cadebant, inter quos abſumptus eſt & Thomaſius faber cẽturio uir fortis quantũ quiſq;

alius. Nãq; in urbem nimiũ altus deſcenſus erat & infœliciter agebatur, quod cum Liuiano relatũ eſſet, protinus receptui cecinit, & deinde ad Ioannẽ campeſtrem receſſũ eſt agros uaſtare, & prædas agere, Deniq; omnis exercitus iterum uenit unde abſceſſerat, ſimul ac hiſpanus exercitus Bergomũ de ditione cepit et uerſus Veronã exercitũq; Venetum iter facere aggreſſus eſt. Nãq; dũ heluetii gallos ultra mõtes expellunt, hiſpani ducti triginta duobus millibus nummũ pulſis fliſcis & adornis reſtituerunt fregoſios in patriam, atq; in Ducem Genuæ Octauianũ fregoſium. Et amplius cum illis relatũ eſſet Venetos Veronẽſiũ agros uaſtare, quia laceſſiti iniuria uiſi ſunt Bergomum urbem ceperunt, & protinus mouerunt in Venetos ſimul cum trecentis militibus Pontificis, quia Pontifex ueritus ne alioquin Rex romanorũ cum Rege gallorũ fœdus iniret, ipſe prius ad germanos deſciuerat, & cum hiſpanis parabat Venetis obuiã ire. Adeo ſemper ſtultum eſt ex re parua magnã inuidiã cõparare, fruſtra niti, & nihil aliud q̃ odiũ quærere. Iamq; hoſtes hiſpani capto oppido Hiſcheriæ arcem acriter oppugnabãt, & quia tormentis militiæ ſatis parietes deiecerãt, protinus ſarmentis repleta fouea qua oppidum ſpectat, atrox prælium conſertum eſt, quia utrinq; nihil prætermittebatur quod uſui foret. Veneti ducenti pedites fortiter obſiſtebant & hoſtibus obuiam ibant. Hoſtes uero freti multitudine ſemper recẽtes ſubibãt ſcalas admouere, murũ aſcẽdere.

Illi tamen

Illi tamē quater repulſi ſunt, ut Veneti intrepidi ſta-
rent, niſi hoſtes rurſum ſuffodiāt parietem. Inde tre-
pidatio et tumultus ortus eſt, Veneti pedites alia par
te arcis ſuperatis mœnibus in pacatum abibant, quia
uident de deditione cum hoſtibus Ductores ſepara-
tim agere, ſed hoſtes potius ui ceperūt arcem Piſche-
riæ, & omnia prædæ militibus fuere, atq; illis auda-
cia, & timor Venetis, additus eſt, & ideo ſtatim tra-
iecto Atheſi flumine ad Alboretū, omnes uenetæ co-
piæ Montagnanā uenere, & deſperatione ducti Ve-
neti ſuper retinendo Lemniaco illud immunitū hoſti-
bus reliquere ſicut & polleſinum rhodigii, quia paſ-
ſim fugiendo in pacatū ibatur. Vſq; adeo illi qui nup
Veronam tantis animis aggreſſi fuerant, ſeruare Lē-
niacum nō auſi ſunt, quinimmo facturi opæpreciū ui
debantur ſi ſeruent Pataniū & Tauriſium, quas in
urbes ex Venetis etiam ingens præſidiū acceſſit &
multi nobiles, qui præſint foribus et ad omnia obeūda
ſemper intenti paratiq; ſint. Deniq; omnis exercitus
iterum Patauium ingreſſus eſt, et Gubernator balio-
nius cum Comite Malateſta & Vulpenſi equite du-
centis milititibus, trecētis leuitibus, & duobus mil-
libus peditum Tauriſium petiit, ſimul ac hoſtes hi-
ſpani Montagnanam uenere, & Germanus exercitus
hominū octo millium parte alia Vincentiā urbē pro-
fectus eſt, atq; ubiq; hoſtes omnia parabant ex ſentē-
tia, ut primo quoq; tempore Patauiū aut Tauriſium
obſideant. Igitur Veneti maxime curabāt urbem Pa-

ſ

tauium munire, quæ & dudum operibus loco cam-pestri omniũ munitiſſima reddebatur ãpla et aquoſa foſſa, lato muro & promurali, atq; anteportariis pro-pugnaculis, quæ cũ impfecta adhuc eſſent enixe operi ſtudebatur, & omnia utilia atq; abunde cõmeatus in urbem aſportabãtur. Et amplius quia Venetorum terreſtres copiæ contra hoſtes non ſufficiunt, uiſum eſt e republica fore, ſi ueneta claſſis ſtatim irrumpat in Apuliam. Et iccirco datum negocium eſt præfecto Vincentio capello ultra nouem triremes quas apud corcyram habebat, paſſim omnia nauigia colligere. Itaq; intra paucos dies quadraginta quinq; uniremes quæ poßũt dici etiam liburnicæ apud Corcyrã col-lectæ ſunt, & multa alia nauigia atq; omnia parata ex ſententia. Sed poſtea nimiũ non laceſcendi iniuria ſuſpitioſum ſtudiũ mouit, & qui læti ad prædã Apu-liæ conuenerant triſtes omnes redire ad propria di-miſſi ſunt. Iam uero uenerat ad locum Batalea hoſtiũ omnis exercitus Hiſpani mille milites, quadringenti leuites, & ſeptem millia peditum, Germani trecenti equites, & quinq; millia peditum cum multis cam-peſtribus muralibuſq; tormentis militiæ, & parabant obſidere Patauium ut Regi romanorũ rem gratã fa-ciant, & ſi poſſint Venetos cogant deſideratũ fœdus inire, quia alioquin illam urbem tam bene munitam capere talis exercitus aptus non erat. Hoſtes tamen deniq; prope urbẽ ad Baſſanellum caſtrametati ſunt ſimul ac Gurgẽſis Epiſcopus cum quinquaginta equi-

tibus, & ſexcentis peditibus in caſtra uenit, & amplius cētum milites Pontificis affuere ſubſidio. Igitur miſſilibus telis & tormentis militiæ frequenter res erat, & ſæpe cōmittebātur leuia certamina. Nāq; in urbe oēs unanimes erāt uigilias & excubias agere, loco ſtare, & in officio ſemper eſſe. Nuper uero cum hoſtes foueam ducerēt prope urbem ad leuigata itinera, Veneti ſexaginta leuites, & centū pedites loci cuſtodibus & operariis repente obuiam uenerunt, & quia hoſtes nihil tale uerebantur facile in fugam cōuerſi ſunt relictis armis & impedimentis aliis, quæ omnia prædæ militibus fuere. Et amplius cum hoſtes ueniſſent ad ciuitatis planiciē, ex urbe tormentis militiæ acriter agebatur, & hoſtes protinus compulſi ſunt in pacatum recedere. Illud uero præſertim Veneti enixe curabant, ut omnibus modis uetent commeatus afferri in caſtra hoſtium, atq; ad eam rem equitatus leuitum ubiq; & ſemper hoſtibus infeſtus erat. Et ſimiliter armatis lembis per amnē Atheſim ibatur cuncta intercipere, quæ multa eſculenta & poculēta in caſtra ſubuehebātur ex Ferraria. Et amplius Veneti pedites & equites usq; ad ſtationes hoſtium frequenter ibant, & illos laceſſebāt ad præliū quo cōſerto ſæpe etiam fœliciter agebatur, atq; ideo hoſtes tandem re intentata in locum tutum abiere intra diuortia Bachilionis fluminis, & deinde poſt paucos dies uerſus Vincentiā ibatur quadrato agmine, quia inter eundum Veneti equites leuis arma-

turæ a tergo ſemp̄ illos uexabant. Nihilominus partē alia apud Bergomum cum hoſtibus frequenter res erat, quia Laurentius cerinas cum quingentis equitibus, & duobus millibus peditum Cremæ præſidio ſtabat, atq; inde ſæpe hoſtibus obuiā ibat. Et nuper amplius Mapheus catulus cum quingentis equitibus Bergomum repente uenit, & quia nō niſi centum hiſpanis ſeruabatur, facile ciuitatem recepit & ſubſtulit decem millia numum, quæ hiſpanorum in manus uenerant, atq; inde cum pecuniis in Cremā rediit. Hoſtes uero cum trecentis germanis iterum incuſtoditam urbem Bergomum cepere & colligēdis pecuniis ſtudebatur. Et āplius Comes Antonius latronius cum duobus millibus germanorum peditum & centum hiſpanis militibus, ducētis leuitibus, & mille peditibus perrexit obſidere Pontenuicū oppidum ſitum ad flumen Oleū, et quia armis uiriſq; bene munitū uideretur, primo tormētis militiæ acriter agebatur, poſtea atrox prælium conſertum eſt & conabantur hoſtes alii per ruinas muri in caſtellū uadere alii ſcalas admouere et murū aſcendere. Contra Frāciſcus liponanus, Ludouicus quirinus, et Hieronymus ſatinātius cum ducentis peditibus fortiter præ mœnibus ſtare, ſemouere hoſtem miſſilibus telis, & elaboratis ignibus nihil tutū munimentis pati. Igitur ſanguinolentum certamen fuit & diu marte ancipiti pugnabatur, multi utrinq; cadebant, multi ſauciabātur, & deniq; hoſtes repulſi ſunt. Illi uero poſtea parabāt

cuniculos facere, & uolebant muros ſuffodere. Cōtra oppidani citi obturare aditus & demoliri opera. Sed quia menſtrua & diutina obſidio fuit, Veneti milites inopia cōmeatuū tandem cōpulſi deditionem facere & omnes impune abire dimiſſi ſunt. Quoniam uero Veneti milites apud Cremā ſemper intenti paratiq; ſtabant Bergomenſium paratas pecunias ſubripere, nuper quoq; ad eam rem trecenti equites, & quingenti pedites Bergomū uenere, & cum hiſpani cum pecuniis in arcem fugiſſent, arcē oppugnare aggreſſi ſunt, & quia ſeptuaginta & pauci hoſtes eſſent & non niſi lapidibus agerent, facile arce ui capta hoſtes omnes etiā capti ſunt. Deinde uiſum eſt e republica fore Bergomum poſitis cuſtodibus ſeruare. Sed ſicut uenit immatura uictoria, ſic non diuturna fuit lætitia, quia ut primū Mediolanum relatum eſt, Siluius ſabellus cū trecentis equitibus, quingentis peditibus & duobus millibus agreſtium briācenſiū, nec non cū Cæſaris feramuſcæ ſexaginta hiſpanis equitibus, & centum quinquaginta peditibus contra Bergomū in expeditionē uenit, & ſimul ac obuiam factus eſt Venetis quingentis equitibus, & trecentis qeditibus, qui ex Crema Bergomū ſubſidio feſtinabāt, ſtatim atrox certamē fuit, & deniq; Veneti ſua paucitate uicti et ciuitate expulſi ſunt. Et quia Bartholomeus muſtius inde cum præſidio ſe receperat in arcem Capellam ſitam ſupra mōtem iuxta Bergomū, uetabatq; pecunias exigere, hoſtes hiſpani mille quingēti locum pro

uiribus obſederunt, & nunc quidem tormentis militiæ geſta res eſt, nunc comminus certamen fuit. Sed quia armis uiriſq; bene munitus locus eſſet, fruſtra obſidebatur, & omnis hoſtium uis irrita frequenter fiebat. Interea Leo Pōtifex, ſicut maxime decet ſummum antiſtitem, diſcruciabatur animi propter bella, & enixe operam dabat Italiam Italorū eſſe. Et quoniam pax Venetorū cum Rege romanorū factu difficilis uidebatur, ille in eam ſententiā ductus eſt, ut ſecum iungat Hiſpanos Venetos Florentinos Mediolanenſes & heluetios. Atq; inde ſuper ea re cum ueneto oratore Franciſco foſcaro freque̅ter agebat, neq; enim æquo animo ferre poterat Regem gallorū uenire iterum in Italiam, non quia ab eo iniuria affectus eſſet, ſed quia eius potentia formidoloſa nimium uidebatur, ut eo ſtante in Italia ſedes Pontificis & tota Italia tuta eſſe non poſſet. Quod ſi in dictū fœdus omnes coeāt facile Regis gallorum potentia cōprimatur, & Rex romanorū prece aut precio uincatur, qui alioquin duriuſculus uideretur, & deniq; omnes Reges declinent ad pacem omniū, & tota pacata reddatur Chriſtiana ſocietas. Verum Venetis fœdus Italiæ nimium factu difficile uidebatur, atq; illis itidem erant cum Rege romanorū ſuſpectæ induciæ, quia inde cum Rege gallorū ſequebatur certa diſcordia, & cum aliis incerta cōcordia. Pax autem ſummopere placebat, ſed diſplicebant pacis conditiones, quia uolebāt Veronā relinquere, et plus ſatis uis

debantur facere, ſi ſexcentis millibus numũ ſuas urbes omnes emant, quas iuſto titulo per tot annos poſſederant, & præſertim repugnabãt cum Rege gallorum inita fœdera. Adeo ſemper incõcuſſa fide Regis gallorum fœderibus ſtabatur, q̃quis de ſumma rerum illorum ageretur, & ualde in incerto gallorum res eſſet, quia illis atrox bellum illatum eſt ſimul ab anglis in Aquitaniam, & ab heluetiis in Burgundiã conterminam ipſis heluetiis ad occidentem ſolem & ad Sequanã fluuium, cui regioni a germaniis nomen eſt, ſicut & Dux Burgundiæ appellatur, & ſi ille eã non habet, ſed alteram altam Burgundiã, quæ modo appellatur Britãnia ſita ad oceanũ britannicũ. Et amplius hoſtes põtificii germani & hiſpani Venetis infeſti erãt agros uaſtare, prædas agere, obſidere Pattauium & Taruiſiũ, & uſq; Meſtrũ oppidum uenetaq; æſtuaria acriter prorumpere. Nã q̃ hoſtes ſoluta obſidione Patauii quia uires ſuæ operi non ſufficerẽt, inde in omne malum & ſcelus cõuerſi ſunt igni ferroq; crudeliter ſæuire, perdere, rapere, interficere, captiuos facere qui aliquid ſoluendo eſſent, & præſertim adoleſcentes abducere, ut diſciplinã militarẽ addiſcant, niſi precio redimantur. Et plusq̃ alibi hoſtes apud Baſſianũ ſua crudelitate uſi ſunt nulli ſexui parcere, oĩa diripe, et tẽpla Deorũ etiã ſpoliare. Vincentiæ per aliquot dies ſtatum eſt, deinde itum ad Alboretũ oppidũ, unde impedimenta & tormenta maiora militiæ Veronã tranſmiſſa ſunt & ſimiliter

ſrumenta omnia, quæ Coloniæ prædati fuerant. Deniq; cum paraſſent omnia ex ſentẽtia cõmeatus abũde biſcotos panes, currus, lembos, uegetes, ferramẽta lignamina, Montagnanã uenerunt, & deinde Ateſte oppidum, uillam noſtram Gurgenſem & Bobulentam Plebemſacci, Meſtrũ oppidum & totam regionẽ inferius usq; ad ueneta æſtuaria prædati ſunt. Si præda ea a pellari poteſt, in qua igni ferroq; & omni impietate crudeliter uterentur, ſimul ac oia prædæ hoſtium militibus relinquebantur. Nãq; paſſim ex agris & ciuitatibus Venetias migratũ eſt, & ad Venetas paludes abducta cuncta animalia, atq; illis cũ trecentis armatis nauigiis ſubſidio ſtabatur, donec ſimul cum agricolis multa etiam animalia Venetias delata ſunt. Et quia hoſtes diruto & igne conſumpto Meſtro oppido adeo ꝓpe aquas ſalſas Calẽdis Octobris uenerunt, ut eorum tormenta militiæ ſacris etiã mulieribus fani ſecundi iactis lapidibus infeſta forẽt, res poſtulare uiſa eſt Venetias ipſas legentũ pariter oculis ſubiicere, quæ nam æſtuaria ſint & uicina cõtinẽs, piſcationes, uiuaria, portus & decliuia flumina.

VENETIAE ITA IN mediis aquis ſitæ ſũt, ut undiq; a continenti per duo millia paſſuũ & amplius diſtent. Nãq; mare per duo caſtella ad ortũ ſolis ingreditur, & magno canali per mediã ciuitatem uadit. Et idẽtidem duo alii magni canales ſunt, alter ad ſeptẽtrionem uerſus Murianũ, alter ad meridiem uerſus Iudaicam. Et quidẽ ſupra omnia mira res eſt,

quod urbis fundaméta ſunt ſuper aquoſa tellure, quæ amplius duodecim pedibus alta non eſt, quia ulterius aquarum abyßus inuoluitur, & tamen illa precioſis templis, altis palatiis, ſpacioſis plateis, quantum alia decora & pulchra ciuitas eſt, & ſupra urbes omnes alias quacũq; habet itinera canalicia, quia ſimul ac æquor in totã ciuitatẽ difluit, frequentia facit aquarum diuortia, unde pariter terra mariq; p totã ciuitatem itur. Nãq; ad terreſtria itinera põte lapideo ubiq; iungitur. Et quia alioquin Canalis maior tantũ unum pontem ad Riualtũ habet, frequẽtibus locis ad commoditatẽ multæ cymbæ portoriæ ſuppetũt, ut ſi cymbarũ omniũ exacta cõputatio fiat Venetiis plures ſint, q̃ equi & muli qui Romæ innumeri uidentur. Et amplius multæ inſulæ ingredientibus pelagus Cycladũ faciem præferunt. Nãq; a dextris apparent tria oppidula Burianũ, Torcellũ, & Maiorbiũ, & a ſiniſtris Medoacũ, nũc corrupto nomine uulgo apellatum Metamaucum, & Foßaclodia, atq; paſſim in aquis circũ circa Venetias, multa tẽpla ſublimia ſita ſunt. Facies uero ciuitatis quæ merito per canalem maiorẽ ſumi debet, ea flexuoſa eſt, quia ille primo ad ortũ ſolis ingreditur atq; per meridiẽ & occidentẽ uadit, & ad ſeptẽtrionẽ deſinit. Lõgũ eſſet in ſingulas urbis partes primarias deſcẽdere forum ampliſſimum, Ducis palatiũ marmoreũ, Marci aureum Templum auguſtiſſimũ, diuitem Riualtum mercatorium, atq; ſpacioſum & bene refertum Nauale deſcribere,

& profecto alienum a noſtro propoſito, quia oporte-
ret plura q̃ par eßet in ſingulis dicere. Illud uero
ſcire operæprecium eſt, queadmodũ retroactis tem-
poribus aliter ſe habebãt iſta ciuitatis æſtuaria. Nãq;
ab Aquileia ad Rauennã usq; continebãtur, & alibi
triginta, alibi uigintiquĩq;, alibi uiginti, et alibi quin-
decim millibus paßuũ ad continentẽ ibatur. Siquidẽ
Rauenna, Aquileia, Concordia, Opitergiũ, Altinũ, Pa-
tauium, maritimæ ciuitates erant, quæ omnes modo
intra cõtinentẽ ſunt magis aliæ & minus aliæ, ſicut
ſita ſunt apud maiora & minora flumina. Nãq; Aqui-
leia ſolum a mari nouem millibus paßuũ abeſt, quia
prope habet minorem amnem Liſuntiũ, & longe di-
ſtat Concordia per uigintiquinq; millia paßuũ, quia
iuxta eam difluunt duo ramenta Tiliauenti maioris
fluminis harenigeri, & adbuc magis diſtat Opiter-
gium per triginta duo millia paßuũ, quia prope ua-
dunt Plauis & Liquẽtia magna flumina. Altinũ uero
non niſi per decem millia paßuũ, quia Silius magnus
amnis per ſeptẽ hoſtia currit in æſtuaria. Aliter ab
æſtuariis ad Patauium uigintiduo millia paßuũ ha-
bentur, quia hinc inde magnus amnis Medoacus in-
uoluitur. Igitur cum tot & talia flumina ſint quæ
exeunt & multã terram congerũt in ueneta æſtua-
ria, ex Plaui flumine Heracliana & Geſſulana ciuitas
in continentẽ uenit, & ex Tiliaueto pars illa quæ ad
Aquileiam & Maranium uergit, & ex liquẽtia pars
alia quæ continet Cauorlem & Concordiã. Brenta

uero fluuius prius ibat per uillã Nouentã, & diuertebat per Plebèſiochi ad Bebias & ad portũ cui Brẽtulus de nomine nomen eſt. Poſtea Patauini eius amnis nouam ſciſsurã fecerunt ad locum Bruſonii, unde Venetias & ad locum bilarii nouus alueus quærebatur, & uenerunt in continètem quæ prius erant Valles Gambarariæ & uiuaria piſcium. Et quia in peius etiam ibatur ſtatim cõpactis aggeribus uerſus canalem maiorem iterum oportuit amnem ſeducere. Sed ille qui prius exibat ad meridiem cum declinaſſet ad oriens usq; Vriachũ & Ciaſuſinã terram cõgeſſit, & quod antea circuibat mare ducentis quinquaginta millibus paſsuũ, uix conſtat modo quadraginta millibus paſsuũ a maiori littore ad portũ Brẽtulum quem Liuius meduacũ appellat, atq; alioquin refert ab eo Pataniũ abfuiſſe quatuordecim millibus paſsuũ quando Cleonymus Dux Lacedemonius cum claſſe græcorũ applicuit, & quia prædas ageret, cũ magna ſtrage, a Venetis & Patauinis expulſus eſt. Iſta tamẽ æſtuaria adhuc ampla ſunt & uiginti fluminũ receptacula, quæ ſubuehendis mercibus in mediterranea magnam cõmoditatè afferunt. Accedunt multa piſcium ampla uiuaria, in quibus ſtatis temporibus uariæ piſcationes fiunt, & auium aucupia, atq; inſuper in continentem itur, ubi aues terreſtres & animalia capiuntur, & paſſim habentur omnia terræ marisq; ſolatia. Nãq; undiq; colles amœniſſimi ſunt, deinde agri fertiliſſimi & prata uiridia, deniq;

ſubeunt piſcatoria æſtuaria & maris lata planicies, in cuius meditulio ipſæ Venetiæ ſitæ ſunt, ut facile uiſum iri poſſit iſta pars Italiæ nõ minus amœniſſima q̃ tutiſſima, & ipſa ciuitas ad pacis ocia, & ad belli uſum cõmodiſſime ſita eſt. Sed reuertamur unde abſceſſimus quando hoſtes cum miſeris agricolis quãtũ dici poteſt crudeliter agebãt nulli rei, nulli ſexui parcere, ſæuire, rapere, cõburere & prolabi in omne ſcelus & facinus, ut talia inulta nunq̃ ſint (ſi dii ſcelerum ultores ſunt) & idẽtidẽ homines agant quod ſua intereſt. Itaq; Liuianus ad omnia obeũda ſemper intentus paratusq; ſtare, arma expedire, ſupplementum ex totis Venetiis adcerſcere, nouos milites adſcribere, cõcire agricolas, feſtinare, parare, facere cũcta utilia, et ſimul ac uenit Pataniũ ſubſidio Chriſtophorus maurus & Hieronymus cõtarenus cũ multis nobilibus & peditibus, atq; idẽtidẽ cum nobilibus & peditibus Andreas Grittus Tauriſiũ, Liuianus cũ toto exercitu & manu collectitia confeſtim exiuit obuiã hoſtibus ex Patauio, & ſimiliter ex Tauriſio Ioãnes Paulus balionius cum copiis in hoſtes ibat. Nãq; hoſtes noningẽti milites & ſeptem millia peditũ reuertebantur ex æſtuariis & ad Ciuitatulã Brentã amnem uelle traiicere uiſi ſunt. Igitur quia Venetis expedit Ciuitatulã armis uiriſq; bene munitã habere, ſtatim illuc ex Baſſiano ingens præſidiũ acceſſit. Ablatæ omnes lembi ex flumine & pontes paſſim abrupti, ut hoſtibus tranſitus difficilior redderetur.

Et amplius Venetus equitatus leuitum ſemper hoſtiū ueſtigia ſequebatur, & ubiq; illis infeſtus erat. Poſtq̄ uero uentum eſt ad Brentā amnem e regione Villæ fonticulæ ubi flumē uadari poterat, ſuper ripas eius ordines diſtributi ſunt & poſita tormenta militiæ. Nāq; hoſtes iam uenerāt ad Ciuitatulā & uelle flumen uadare uidebātur. Et Liuianus omnino animatus erat cum hoſte manum conſerere, ſi ille pertentet in alteram ripā traiicere, & quia nō unum iter patebat, Liuianus ſolicitus huc atq; illuc frequenter ire, cuncta ſcrutari & proſpicere, ut cōmode ubiq; rerū bene gerendarū oblata occaſione uteretur. Sed dum Veneti putant hoſtes ituros inferius, illi traiecerunt ſuperius ad tria millia paſſuū ad locum Nouæ Crucis impune noctis ſilentio, & uerſus Vincentiā magnis itineribus feſtinabāt, ſi poſſint locum antecape, & in pacatū recedere, quod cum Liuianus animaduerteret cum exercitu protinus locum anteuenit, ut quod ad Brentā nequiuit facere, ad bachilionem fluuium ſaltem uetet hoſtes traiicere. Hoſtes uero prope montes iter tenebant, & incedebāt quadrato agmine dum Veneti leuites ſemper illos uexarent. Et quoniā cōmode uerſus Veronā caſtrametari quærebāt fruſtra Vincentiæ & Montechii ſedes tentarunt. Nāq; apud Vincentiā Venetorū omnis exercitus erat, & amplius Gubernator balionius cum Andrea Gritto ducentis quinquaginta militibus, quingētis leuitibus, et duobus millibus peditū per Vicum aggeris et op-

pidum Liminium in caſtra uenerat. Ioannes Paulus manfronus autem cum manu collectitia ad quatuor millia hominum præſidio ſtabat apud Montechium ſitum loco, cliuoſo prope Reronē fluuium, ut iter ſolūmodo ad fugam relinqueretur in quam hoſtes cōuerſi uidebantur, aut iuxta amnem Ligorā, qua ad Sciedium itur, quod ualde aſper & cliuoſum eſt & non peruium tormētis militiæ, aut recta uerſus Mōtechium, aut trāsuorſum uerſus Patauium, quæ ābo itinera hoſtibus infeſta reddebātur, quia Veneti locū anteuenire ſemper poterant. Vſq; adeo Liuianus in certam ſpem potiūdæ uictoriæ ductus eſt, & confidenter hoſtibus obuiam ibat. Et quia paulopoſt hoſtes uiderentur uerſus Baſſianū iter facere, de ea re omnes monticolas certiores fecit, ut Ciſmonis fluminis pontē deſtruant, & ad ſaltus ſemper intenti paratiq; ſint abeuntem hoſtem inuadere. Adeo frequenter in nos ipſos agimus dum neſcii ſumus quid noſtra intereſt. Hoſtes uero ſub ordinibus militiæ uerſus Sclediu digreſſi ſunt, quos Liuianus imprudēter nimiū cum toto equitatu leuitum ſequebatur, & identidem uerſus hoſtes omnis exercitus paulatim ibat. Igitur cum omnia itinera fugiendi interciſa eſſent, & ſuper omnes montes colleſq; paſſim in officio ſtaretur, hoſtes deſperatione ducti, uelle cōfligere uiſi ſunt, & reuerti uerſus Vincentiā, quæ cum Venetis nūciarētur ſtatim loco ſtatum eſt apud Creatium. Creatium uero locus eſt prope ciuitatem Vincentiam ad duo

millia paſſuũ, ubi exiguus collis eſt aptus ualde tormentis militiæ, & ſubiecta conuallis ubi cōmode ſub ordinibus ſtabatur, et quod melius erat illuc per iter ſolum anguſtũ prope colles ibatur, quia cætera alta palude tenerentur. In principio uallis præſidium & medium robur exercitus, in fine uallis ſubſidiũ erat, & amplius in procinctu ſtabat ad Vincētiæ ſuburbia Gubernator balionius cum Tauriſano ſubſidio. Hoſtes tamen auſi ſunt in certamen deſcendere, & primo quidē diſſimulabant aggredi præſidiũ, deinde uallem tranſgreſſi ad Vincentiæ ſuburbia in Venetos confeſtim ibant. Huic hoſtium turmæ militum cũ pluſculis tormentis militiæ, uenetus equitatus leuitũ ſtatim obuiam uenit, præliumq; atrox conſertũ eſt, et hoſtes primo cedere uidebantur. Sed poſtremo Veneti impares erãt, niſi alioquin uictorem hoſtem repuliſſent e caſtris tormentis militiæ, ſicut etiam iterum hoſtes repulſi ſunt tormētis militiæ cum exinde iuiſſent cum præſidio certare, & inter leuites acriter ageretur. Secundũ eam pugnam Alexãder bigolinus qui captiuus hoſtium erat nomine Proſperi columnæ in caſtra ueneta nunciatũ uenit Liuiano & Venetis periculoſum fore cũ hoſte confligere, quãdo cum Proſpero columna res eſſet, qui ter Liuianũ antevicerat, & hoſtes omnes inuicem iurati ſint, aut mori, aut uicere. Quod ſi Liuianus potius uelit cõtando rem uenetã reſtituere, ea uia proculdubio tutior eſſet ex hoſtiũ inopia cõmeatuũ, quæ tanta erat.

ut illi fame & inedia pereant, & ſi per diem ſtetur, illis neceſſe ſit, aut ſemet perditũ ire, aut deditionem facere. Sed Liuianus ea omnia quæ dicebãtur paruifacere uiſus eſt, & quæ inceperat non deſiſtebat facere, quia parum illi fides habebatur. Sicut ſemper ſolet accidere, ut aduerſus fatorũ ſeriem, nulla proſint humana auxilia. Hoſtes uero iterum uerſus Scledium diſſimulabãt aufugere, & in fidẽ rei reliquerunt prædæ partem aliquam, quod Liuianus nimium ratus eſt, & iterum cum leuitibus hoſtem ſequebatur atq; inde omnis exercitus in eam expeditionem ſubibat. Hoſtes autem ut primũ loco iniquo ad paludem Creatiam Venetos protraxere poſthabita præda & diſtributis ordinibus repẽte in Venetos cõuerſi ſunt. Et quia a Venetis nimiũ temere in hoſtes ibatur ſine tormentis militiæ, ſine ordine, ſine imperio, & amplius inſperata res erat. Illi primo congreſſu ceperũt aufugere, & pleriq; non ſatis ſibi conſtare uidebantur. Multi tamen ductores alioqnin maluerunt mori ꝙ ignominiã pati, & ſimul cum ala equitum & acie peditum irruperunt in hoſtes cõfertiſſimos. Et quidẽ Franciſcus calſonus, Antonius pius cum filio Conſtãtio, Meleager forliuienſis, & Alõſus parmẽſis in decoris armis mortem oppetere uiſi ſunt. Paulus autẽ Santangelus plenus uulneribus e manibus hoſtiũ dilapſus eſt, & Iulius manfronus non inultus in hoſtiũ poteſtatẽ uenit ſicut & Gubernator balionius. Andreas autem lauretanus legatus uulneribus cõfoſſus occubuit

occubuit ſimul ac in quæſtionē ueniſſet cuiuſnā captiuus haberetur. Poſtremo quia multo potētiores hoſtes erant, & fuga paſſim fiebat, de Venetis magna ædita cædes eſt, dū fugiētibus impedimēto etiā palus eſset, & q multi ſe proiiciebāt in flumen proximū eius uorticibus abſumebātur, quia alioquin temere fores Vincētiæ occluſæ fuerāt. Multi tamē pedites & eqtes cū Liuiano & Andrea Gritto icolumes abiere Patauiū & Taruiſiū, ſi poſſint collabantē rem uenetā armis ꝑtegere. Itaq; unde Venetis merito debebatur incruēta uictoria, illis ſanguinolēta ſtrages, & ingēs ignominia parta eſt, quia incōſulto & temere nimiū agebatur. In eo ꝓlio amiſſa Venetorū impedimēta oīa & tormēta militiæ, quatuor millia peditū & trecēti quinquaginta milites aut cæſi aut capti ſunt. Poſteaq̄ uero Venetiis nunciatū eſt, quæ in caſtris geſta fuerant, cōſternati animi omniū ſunt, & res ueneta uiſa eſt i peius corruere. Sed q̄to magis aduerſa res erat tanto a patribus contra audentius ibatur Patauiū & Tauriſiū munire, ſupplementū exercitui mittere, atq; etiā nobiles cū delectis peditibus, et demū oīa facere ſicut expedit, quādo in ꝓpinquo hoſtis eſt. Nāq; hoſtes elati inſpata uictoria ꝓſeferebāt uelle iterū obſidere Patauiū. Sed ea res in quæſtionē uenerat Veronæ apud Gurgēſem Epiſcopū, Viceregē hiſpaniæ, et Proſperū columnā. Et qdem Proſperus q̄tū in ſe fuit rem uenetā fouit & fecit, ne repente hoſtes in expeditionē exirent, qn̄ bello cōfractis Venetis piculoſum

foret, & tandē eius ſentētia melior uiſa eſt, dū ſemp hoſtes hortaretur potius hyematū abire, ſimul ac ſatis ſupq́ nup actū eſſe uideretur. Igitur ipſe cū trecentis militibus Ducis ſfortiæ Impator exercitus Mediolanū abiit, ut Venetis & Laurētio cerinati obuiā iretur, & forte Crema oppugnaretur, niſi tēpus hyemis impediat, q̄a loco aquoſo ſita eſt. Hiſpani et germani hoſtes alioq̄n arma expedire, bellū parare, milites adcerſcere & ſæpe uidebātur uelle exire in expeditionē cōtra Pataniū et Taruiſiū. Sed poſt q̄ armis uiriſq́ ābas urbes bene munitas uident, quia cū nobilibus etiā Ducis duo filii Aloyſius Pataniū et Bernardus Tauriſiū uenit, hoſtes Vincētiæ morabātur, et nō niſi leuioribus certaminibus agebāt, dū ipſi paſſim uolunt agros uaſtare, & prædas agere, & cōtra Veneti milites conabātur cōmeatus intercipe, & ſemp eſſe terrori hoſtibus, & ſociis ubiq́ auxilio. Atq́ idētidē intra urbes ābas ordines diſtributi ſunt ad portas & forū nobiles Veneti, poſitæ paſſim uigiliæ et excubiæ locata pſidia ad muros & ad ſtata ciuitatis loca, & ppe hoſtes, leuites ubiq́ exploratores erant, qui ſemp referāt, ubi locorū ſint, et q̄d hoſtes agāt. Dū ea uero in Italia geruntur, in gallia & anglia terra mariq́ bellū ingens geſtū eſt. Nāq́ erat ex altera Rex āgliæ & Rex romanorū, atq; ex altera Rex gallorū, ſcotiæ, & daciæ ut nūc dicitur pars illa, quæ olim cymbrica cherſoneſus appellabatur. Et primo q̄dem Rex angliæ cū ſeptē millibus equitū & octoginta millibus peditū

traiecit in dictã modo Britãniã, quæ olim gallia belgica dicebatur. Deinde Rex romanorũ cũ decc millibus hominũ in caſtra uenit, & apud Morinũ urbẽ dictã modo Terouanã diu cũ hoſtibus agebatur. Nãq; quadrigẽtis militibus, & tribus millibus peditũ bene munita ciuitas erat, tum quia illa parua eſt, tum quia prope caſtra gallorum ſtabãt ad tria millia militũ, et quadraginta millia peditũ. Et qdẽ Regis gallorũ bene cõſulta mẽs erat cum hoſte nõ cõfligere, ſed ciuitates munitas habere, ut ingruẽte hyeme et rerũ difficultate, hoſtiũ uis omnis irrita redderetur. Sed tantũ ab fuit, ut galli mille milites dũ cõmeatũ in laborãtẽ ciuitatem afferũt cũ hoſte manũ cõſerere cõpulſi ſint. Nãq; ea ꝓtinus hoſtibus relata res eſt, & Rex ãgliæ cũ equitatu, & Rex romanorũ cũ peditatu et tormẽtis militiæ ſtatim obuiam uenit, deinde atrox & anceps certamen fuit dũ inter eqtes ageretur. Sed poſtq̃ peditatus acceſſit et ceptũ eſt tormẽtis militiæ acriter agere, galli facile uicti fuſiq; ſunt. Ductor Baiardus, Franciſcus ſpinula, multi nobiles, & quadraginta gallorũ milites cæſi ſunt. Capti Ductor frodota, & Dominus lõgauillenſis ꝑfectus centũ nobiliũ, atq; ãplius qui in urbe erãt deditionẽ fecerunt inopia cõmeatuũ & ſolo æquata ciuitas eſt. Parte quoq; alia heluetii ad ſexdecim millia hominũ cũ quingẽtis germanis eqtibus & uigintiq́; tormẽtis militiæ cõtra Regẽ gallorũ Dominũq; Tremuliæ & paratiſſimus copias irrupant in Burgũdiã, & ꝓpe Diiuniũ regiõis ciuitatẽ

primariā caſtrametati ſunt, ut de Rege gallorū facile actū foret, niſi Rex hiſpaniæ cōſulto īducias pepigiſſet, & cū heluetiis apud urbē Diuiniū res oēs cōpoſitæ ſint qbuſlibet cōditionibus. Nāq; heluetiis Cremonæ & Mediolani arces dabātur, & petita numū quadrigēta millia, quæ qdem acta ſunt p Dñm Tremuliæ & dati obſides. Sed poſtea Regi non placuit, & dilata res eſt in aliud tempus de induſtria, donec exactius ageretur cū Pōtifice & Rege hiſpaniæ. Deniq; Rex gallorū uiſus ē potius uelle filiā ſuā Rayneriā dare nuptui Ferdinādo fratri Ducis Burgundiæ cū dote rerū mediolanēſiū, ut ea uia Rex hiſpāiæ & germaniæ, quorū ille nepos eſt, uiderētur i regnū Italiæ ſemetipſos intrudere. Sed quia Pōtifici ea ſuſpecta & moleſta res erat, ille p Rege gallorū interceſſit cū Rege angliæ & cū heluetiis, atq; obiter diſturbauit nuptias & Regū cōſilia, q uolebāt alioqn totā Italiā partiri, & pcipue ciuitates Venetorū Regi Maximiliano tradere. Caterū cū inter agendū galli de Rege hiſpaniæ ſuſpicarētur, quingēti milites, & decē millia peditū ſtabāt ad Narbonē uerſus fontē Rabiā & regnū Vaſconiæ, qđ modo regnū Nauarræ appellamus. Et ſimiliter in Burgūdia galli qngenti milites, & decem millia peditū erāt aduerſus heluetios, quia ſuper pacis cōditionibus adhuc in īcerto res eſſet. Atq; amplius contra anglos maioribus copiis agebatur militū triū millium, & triginta milliū peditū. Et nup ſub ordinibus militiæ ad Sequanā amnē ſtabatur in pcinctu

cōfligere, ſi angli uelint flumē traiicere. Sed tātū abfuit, ut ab hoſte potius itū ſit Tornaim olim Neruim appellatā ciuitatem capere, quæ magna & populoſa tot turres muratas habet quot dies annus, & tamen paulopoſt facta deditione in hoſtium poteſtatē uenit, qa nō immiſſū pſidiū eſt, & fruſtra fides ciuibus habebatur. Nāq; alioqn Neruios populos feros et magnæ uirtutis hoīes fuiſſe Cæſar teſtatus eſt, & eorum plio romanū exercitū ductū in maius diſcrimē, quā usq; fuerit in tota gallia, germania, & britānia. Per idē tēpus in āglia bello identidē agebatur, quia Rex Scotiæ cū quadraginta millibus homnū repente angliā ingreſſus eſt aduerſus anglorū triginta millia. Vnde cū primū inuicē obuiam facti ſunt ante ipſum inſulæ ueſtibulū pliū cōſertū eſt, & illud quidē atrox & diutinū fuit, quia utrinq; paribus animis & uiribus agebatur, & nihil ptermittebatur qđ uſui foret. Multi utrinq; cadebāt, multi ſauciabātur, adhuc tamē in incerto res erat, dū neutri cedere uiderētur. Deniq; uero uictoria āglis parta eſt, nō quia pauciores eorū cæſi ſint, ſed quia Rex Scocenſiū inter primos dū ageret, ictu bellici tormēti interiit. In eo bello fama eſt anglorum ſexdecim millia, & ſcocenſiū nouē millia piiſſe. Verū dū hinc inde res gallorū infæliciter ageretur, forte inter Reges angliæ & germaniæ diſcordia orta eſt, quia uterq; Neruim urbem uolebat. Sed Rex romanorū acceptis pecuniis facile uictus eſt, quāuis inde indignatus abierit in germaniā, ſimul ac etiā Rex an

gliæ cũ gallis pactis induciis et urbe Tornai munita pſidiis ſex miliũ peditũ, & mille equitũ cũ exercitu in angliã rediit, ſi poſſet mortuo Rege ſcotiæ ſemet in regiã illã intrudere, quia regina ſoror eius eſſet. Nãq; alioqn Dux albaniæ Germanus ſobrinus Regis mortui habenas impii ſuſcepat, qa non niſi Regis infans filius ſuperat. Sed reuertamur ad res Italiæ, & incipiamus ab iis quæ apud Cremã geſta ſunt. Nãꝗ hiſpani & mediolanēſes hoſtes eã urbẽ obſederãt, & tamẽ Laurẽtii cerinatis tanta erat ſolertia, ut frequẽter eruptiõe facta illos uinceret ſtratagẽmate, q alios quin uinci nõ poterãt, niſi ꝓpterea quia copiæ eorũ partitæ erãt, et ubiqꝫ temere ſtabatur. Igitur ille ante lucem Calcina oppidũ repente ingreſſus eſt, & quia hoſtes incautos offendit hiſpanos quadragita milites, & ducẽtos leuites cepit. Et identidem parte alia ad Quinzaniũ nocte intẽpeſta mediolanenſes aggreſſus eſt, & qa hoſtes nihil tale uerebãtur, facile cepit & diripuit qnquagita milites. Adeo frequẽter ſpe lucri ingenioſi ſumus, ſicut & modo Veneti milites uidebãtur, dũ ſimul cũ obſidione diutina ſæuã etiã luem & inopiã cõmeatuũ paterẽtur, et pſertim ex opũ penuria maximũ piculũ imminebat. Nãq; alioquin foſſa muro et ꝓmurali, armis uiriſqꝫ adeo bene munita ciuitas erat, ut ui capi nõ poſſet. Igitur cũ ex Venetiis cõuehẽdis pecuniis nimia difficultas eſſet, in cõſultatiõe poſita res eſt, & tandẽ ultro ex ciuibus Cremẽſibus pecuniæ exactæ ſunt, tãtiſꝑdũ pfectus Bartho

lomeus cõtarenus ſoluẽdo eſſet, qñ ex Venetiis red-
derentur. Nihilominus ſæpe cũ hoſtibus res erat, quia
illi etiã freqũter Venetos iniuria laceſſebãt. Et nũp
qdem cũ hoſtes ꝓpe urbẽ ueniſſent, Veneti ſexagita
pedites ſtatim illis obuiã facti ſunt, & atrox certamẽ
fuit. Sed quia intempeſta nox erat, illa deniq; anceps
ꝑliũ diremit, & pari ferme clade receſſũ eſt. Aliter
apud Vmbrianum contra hoſtes fœliciter agebatur.
Nãq; Veneti equites & pedites Siluiũ ſabellũ cũ qua
draginta militibus, & centũ leuitibus repente agreſſi
ſunt, et quia Veneti multo plures erãt, Marcusanto-
nius philippinus Dux hoſtiũ cũ duobus de quadragita
militibus, & decẽ leuitibus in Venetorũ poteſtatem
uenit, atq; oẽs alii fuſi fugatiq; ſunt. Et identidẽ pau-
lopoſt Venetis ceſſit ex ſententia, quia ad Pandinũ op
pidũ cõſerto ꝑlio ſexaginta hoſtiũ cecidere, & in Ca-
ſtionio caſtello ultra flumen Abduã intercepti & ſpo
liati ſunt qnquaginta milites hoſtiũ. Poſtea uero Pro-
ſperus colũna parte altera cũ ducentis militibus, du-
centis quinquaginta leuitibus, & duobus millibus pe-
ditũ ad Ephenengũ uenit, & identidẽ parte altera ad
Vmbrianũ Siluius ſabellus cũ duobus millibus peditũ
atq; hinc inde cõtra Cremã ad duo millia paſſuũ ſta
batur, & frequenter cũ oppidanis res erat. Nãq; ho-
ſtes parabãt agros uaſtare, ut oppidani rerum omniũ
inopia cõpellerentur deditionẽ facere. Aliter tñ Ve-
neti ſocii & milites ſemp manere in officio & oĩa
facere quæ uſui ſunt, q̃uis non magis armis & obſi-

dione foris, ꝙ intus ſæua lue ꝑmerentur. Et amplius Veneti milites uſq; urbem Laudã impune ꝑdati ſunt ubiq; hoſtibus infeſti erãt, & leuia certamina frequẽter fiebãt, ut ſemꝑ ſolet accidere, quãdo in propinquo hoſtis eſt. Nuꝑ uero Veneti milites quia ãplius ꝑ inopia rerũ omniũ tã longã obſidionẽ pati non poterãt, auſi etiã ſunt in hoſtes cõfertiſſimos irrumpe. Et quia caſtra eorũ uerſus Laudã munita nõ erãt & temere ſtabatur, Veneti mille pedites nocte intẽpeſta ea occaſione acriter uſi ſunt, et tanꝙ amici uſq; ad Vallũ uenere, deinde fortiter geſta res eſt, & maxime terrificis ignibus agebatur, ut ꝙuis hoſtes cũ Duce Silnio ſabello plures eſſent, quia tamẽ pleriq; ſemiſopiti erãt, de peditibus magna cædes ædebatur. Nãq; alioquin cũ duce equites cõfeſtim in fugã cõuerſi ſunt, & oĩa ꝑdæ Venetis fuere. Adeo ſemꝑ multũ refert incautos hoſtes inuadere, & talis maturata audacia ſemper fœlix ſolet accidere. Et ãplius Veneti cõtra Proſperũ columnã identidẽ facere parabãt, niſi ille ueritus protinus obſidionẽ ſoluiſſet. Interea uero hiſpani hoſtes Vincẽtiæ morabãtur inſoleſcebãtq; in dies amplius, & Gurgenſis Epiſcopus Mãtuæ, Ferrariæ, Mediolano, Genuæ, Florentiæ, & reliquis oĩbus urbibus Italiæ cõtributiones opũ indixerat, ut cõtra Venetos multi milites adſcribi poſsent. Sed Pontifici ea ualde moleſta res erat, atq; Petrũ landũ oratorẽ uenetũ frequenter hortabatur, ut ſuꝑ pace & induciis cũ Rege romanorũ ſibi tandem fides haberetur, quod ſi in ſua

manu oĩa ſita ſint p̃ter opinionẽ Venetorũ nihil fiet, & ceſſabũt arma ꝗuſq; de pace & de induciis agetur. Sed expectabatur Gurgenſis Epiſcopus qui poſtea Romã uenit, & deinde ceptũ eſt de pace & de induciis exactius agere. Et quidẽ germani pacis ploꝯutas cõditiões poſcebãt. Sed Veneti ne Veronã quidem uolebãt relinq̃re. Igitur ſup ea re diutina quæſtio fuit, et demũ utriq; difficultates oẽs in manu Põtificis poſuere, ut ipſe eſſet liber arbiter, et tamen nõ ageret, niſi ex alieno arbitrio, quia utriſq; ſeparatim antea p Chirographũ pollicitus eſt, nihil ãplius facere quã quod utriſq; collibeat, atq; identidẽ utriſq; Põtificis litteræ datæ ſũt, ut qſq; bello deſiſteret tantiſp dũ de cõcordia ageretur. Quoniã uero Põtifex iter agendũ ignarus non eſt Regẽ germaniæ & hiſpaniæ nouũ regnũ i Italia nepoti ſuo fratri Ducis Burgũdiæ uelle aſciſcere, i dies magis magiſq; ad Venetos declinabat, & uidebatur uelle gallos potius, q̃ germanos & hiſpanos in Italia regnare, atq; ipſe identidem feſtinare, parare, facere, ne unq̃ repiretur incautus. Adeo ſemp & ſi opus non eſſet, cauere ſatius eſt, q̃ poſtea dolere nõ cauiſſe, quãdo oportuit. Aliter Veneti ſub fide uacationis armorũ Maraniũ oppidũ ſitũ ad mare ꝑpe urbem Aquileiã incuſtoditũ tenebãt, et iccirco facile hoſtes illud nup furati ſunt. Nãq; ut cõuenerãt cum Bortholo loci p̃ſbitero, ille ſummo mane egreſſus eſt oppidũ & intromiſſi ſunt Polloni treſcenti equites. Itaq; dolo malo oppidũ captũ eſt, quod

alioquin captu difficile erat, quia ſitũ eſt loco palu-
doſo & circundato aquarũ diuortiis. Et ãplius Chri-
ſtophorus frangipanes perpetrauit horrendũ facinus.
Nãq; cũ agricolæ uillæ Muzanæ commeatus afferri
in Maranũ uetarent, & uiribus capi nõ poſſent, illos
ſeduxit pollicitis & fallaciis, atq; dũ illi temere fides
haberetur, ducẽtis uillicis eruti oculi ſunt abſciſſi pol-
lices, & uillæ ignis ſuppoſitus. Quod ſi crudeliter,
æginenſiũ iuuẽtuti pollices abſciſſi ſunt, ne cõtra athe
nienſes bello maritimo acriter iretur, q̃pto crudelius
iſte fecit, qui ueritus nihil tale, oculos eruit, & polli-
cẽs abſcidit. Veneti uero ĩdignitate rei ualde moti ſũt
& deinde feſtinare, parare, facere, ut p̊ quoq; tẽpore
terra mariq; in eã expeditionẽ iretur. Igitur Baldaſar
ſcipionius cũ exercitu, et Hieronymus ſauorgnanus cũ
manu collectitia terreſtri itinere, et maritimo itinere
Frãciſcus muſtius cũ claſſe triremiũ uniremiũ & lẽ-
borũ contra Maraniũ ſtatim uenit, deinde terra ma-
riq; ſimul oppugnare oppidũ ceptũ eſt. Et quidem p̃
tormẽtis militiæ acriter agebatur, deinde anceps cer
tamẽ fuit. Veneti freti multitudine oĩbus modis ten-
tabãt in oppidũ uadere. Cõtra hoſtes ſemp intẽti pa-
ratiq; ſtare, Venetis acriter obuiã ire, ſemouere ho-
ſtem telis miſſilibus, & nihil tutum munimentis pati.
Deniq; cũ magna ignominia hoſtes repulerunt terre-
ſtres copias Venetorũ, & oẽs ꝓtinus uerſus urbẽ Vti
num fugerũt, quia germani quingenti equites, & duo
millia peditũ ſubſidio feſtinare uiderẽtur. Parte uero

alia uerſus mare Clodięſes ꝑ acriter oppidũ aggreſſi ſunt ſcalas admouere, murũ aſcendere, & iã in oppidũ ibatur, ſi ut par erat, ſubſidiũ ueniſſet. Aliter quia multi tormentarii hoſtes erãt, & fortiter agebatur, poſtremo de Clodienſibus magna ædita cædes eſt, atq; pariter omnes nautæ repulſi ſunt. Et amplius cũ hoſtiũ ſubſidiũ ueniſſet, illi eruptione facta ad locum Viti uenerũt, ubi erãt tormenta militiæ, & parũ poſuit primũ impetũ hoſtiũ ſuſtinere, quia poſtremo amiſerũt tormenta militiæ, multi enecti & ſaucii, omnes fuſi fugatiq; ſunt, et dum paſſim ꝑ altã paludem iretur, multi periere etiã fluminũ uorticibus. Itaq; hoſtes unde nunq̃ putarãt, reportarũt uictoriã, unam triremem ceperũt et multa alia nauigia. Atq; ãplius auſi ſunt Mõfalconiũ inuadere, & quia oppidani noluerũt deditionem facere, uiribus acriter agebatur, et ſimul ac oppidum ui captũ eſt, oĩa prædæ militibus fuere. Per idem tempus Venetiis ut fieri ſolet malo additũ malũ eſt. Nãq; noctu ſæuiſſimus ignis in Riualtũ irrepſit, & quia incurioſe nimiũ agebatur, dum uentus impetuoſus eſſet, ille totus diues auri & merciũ cõbuſtus eſt cum maxima iactura reipublicæ et multorum ciuiũ quorũ intererat, qui q̃to dici poteſt cõſternati animi ſunt & magis q̃ bello dolere uidebantur. Adeo ſemꝑ reſpublicæ tantundẽ affligũt, q̃tũ ad res priuatas uidentur ꝑtinere. Sed iam dicamus de hoſtibus hiſpanis & germanis qui ſuꝑ rhodigiana peninſula atq; Ateſte oppidũ hyematum uenerãt. Nãq; illi

etiam cōmode ſuſpenſione armorū uſi ſunt, quia dum Veneti ꝑpterea cauent illis obuiā ire, illi impune ue nerūt totam prouinciā expilare, rapere, deſolare, & grauari cōtributionibus. Deniq; ꝓfectus Rizanus cū quadringentis germanis equitibus & mille ducentis peditibus Vincentiā uenit, atq; irrupit in Forūiulii, quo uenerāt etiā ex germania mille equites, et quinq; millia peditū. Igitur Gubernator malateſta ſoianius cum ſexcentis equitibus, & ducentis peditibus, & Hieronymus ſauorgnanus cū manu collectitia ad duo millia hominū qui apud Vtinū erāt, poſtq̄ uident non poſſe hoſtibus obſiſtere, ꝓtinus abiere ultra amnē Liquentiā, unde poſſent terrori hoſtibus, & ſociis auxilio eſſe. Et quia hoſtes locis pluribus ſimul ibant ad Cadubriū, Feltrū, & Ciuitatem auſtriæ, ubiq; ꝓſidio ſtabatur, & cum primū per Scalanū caſtellū germani mille quingenti pedites ingrederentur, illis obuiā audacter ibatur. Sed paulopoſt ingruente multitudine a Venetis loco ceſſū eſt, & hoſtes Feltro oppido potiti ſunt, atq; ibāt totam ꝓuinciā inuadere, agros uaſtare, prædas agere, & cūcta igni ferroq; miſerabiliter cōplere. Sed dum hoſtes male agendo per totam regionem uadūt, Veneti qui paſſim ſaltus occuparāt tandē ad Baſſianū partē illorū adorti ſunt, & quia hoſtes incauti & pauciores erāt, de illis magna ædita cædes eſt, et multi duces & milites capti ſunt. In eo prælio maxīe uirtus enituit comitis Bernardini antignolæ, & bononienſis Hānibalis, qui Duces expedi-

tionis erãt, & creditũ eſt ex quingentis trecentos pedites hoſtiũ periſſe. Secundũ eam pugnã hoſtes omnes cõuenerunt in Forũiulii, & quia Veneti milites abierãt, & hoſtes tenebãt oĩa præter Oſopiũ, deniq; in eam expeditionem ibatur. Eſt autem oppidũ Oſopiũ ſitum in mõte ꝑrupto & ualde etiã armis uiriſq; munitum erat. Nãq; Hieronymus ſauorgnanus & Theodorus burgenſis cum octoginta leuitibus, & centum peditibus mercenariis armis expedire, feſtinare, parare, facere quæ oportet, dum in ꝓpinquo hoſtis eſt. Et ecce hoſtes appropinquabãt oppido & inter eundum tenebãt plusq̃ duo millia paſſuũ. Nãq; equites anteibãt, ſubſequebãtur pedites, & ſubuehebãtur tormenta militiæ. Poſteaq̃ uero caſtra hoſtium ꝓpe caſtellum ad uillã ſita ſunt ꝑ quoq; tempore ceptum eſt tormentis militiæ undiq; in arcem agere. Eſt autem arx ſita ad angulũ montis, qui trigonus eſt, ubi lapis unus erigitur uerſus meridiẽ ſex latus, & lõgus duo de uiginti paſſibus, duas cuſpides tutiſſimas habet, altera ad orientem, altera ad occidentem uergit, mõs uero tertiã faciem arcis ꝓtegit quæ ad ſeptẽtrionem ſpectat, ubi hoſtiolum eſt accipiendi ſubſidii, quarta facies auſtralis fores habet, unde cauata ſcala in marmore ꝑ ſexaginta gradus itur in tripaſſuum anteportarium, ex q̃ deinde ꝑ alterã ſcalã deorſum iter eſt in planiciem ubi ꝑſepia ſunt, & ager ꝑ uigintiquinq; paſſus porrigitur, & in capite lapis erigitur cui Coruinus nomen eſt. Unde demum ad imã planiciem ſe

xaginta paſſus ad ꝑpendiculum colliguntur. Hoſtes uero maxime portā arcis tormentis militiæ feribāt, & cum magna pars muri ꝓcubuiſſet, quia dubitari ceptum eſt, Hieronymus cum filiis ſuis theupolis ſtatim ſubſidio uenit. Sed forte ex ruina muri facta maceries erat, & iccirco hoſtes potius conabātur ꝑ cauatam ſcalam in arcem uadere, & plusq̄ ſemel repulſi ſunt. Nāq; propter iniquitatem loci nō poterāt ſubſiſtere, & cum primū adueſperaſceret agebāt ſuppoſitis ignibus, & quia ſic etiā parum ꝓficerent, deniq; totis caſtris ſimul e cunctis partibus in arcē & in mōtem ſuperius ibatur. Sed nulla ſatis uis hoſtium erat, quia oppidani in officio manebāt & oppidū ſeruare paſſim intenti paratiq; ſtabāt. Igitur pugna diu atrox & anceps fuit, & cum plures hoſtium perirēt tandem ab hoſte receſſum eſt. Illi tamen poſtridie iterum & acrius agebāt tormentis militiæ, & deditionem fieri tentabāt. Sed tantum abfuit, ut oppidani potius, quia ſua paucitate nō poſſent aliter in hoſtes irrumpere, ſtatim uſi ſint igne ſuppoſito in uillā, quam hoſtes colebant, & quia uentus impetuoſus flabat, ſimul cum domibus equi ephippia & impedimenta hoſtium igne abſumpta ſunt, ut deniq; hoſtes uiderentur nō niſi lōga obſidione poſſe Oſopium capere, atq; eo maxime quia oppidanis aquæ defecerāt, & ꝓpterea moriebātur cariſſimū equi militibus, unde diſcenſiones oriebātur, & aliquādo de deditione cum hoſtibus agebatur. Et quidem in icerto res erat, niſi illis

opportune e ſenatu cõſulto hortatoriæ litteræ in eã ſententiã redderentur. VIRI OSOPII nunc operæpreciũ eſt uiros fortiſſimos uos præſtare. Nãq; modo certamen uobis ꝓpoſitum eſt de uita, de ſolo patrio, de ædibus, de uxoribus, de liberis, & de bonis ueſtris oibus, quia ſi uiceritis omnia iſta ut antea poſſidebitis, ſin autem uicti fueritis harum omnium rerum hoſtes domini futuri ſunt. Neq;.n.illis fides habenda eſt, ſi oppidum etiã dederitis, quia geſtiunt ne nomen quidem Oſopii ſupereſſe. Quare ſi uobis uultis conſulere manete, pugnate, & putate quæſo ſicut res ſe habet, ſtultũ eſſe ſalutem ſperare, & res alias aufugio, quia uicti ſemper ſeipſos & ſua omnia ſolent amittere, atq; alioquin ſoli uictores poſſunt res ſuas omnes ſaluas facere, & bona etiã ſuccumbẽtiũ cape. Iſtis litteris in fide ꝑmanſum eſt, & omnes uiſi ſunt male mori, q̃ deditionem facere & nõ uincere. Adeo ſemper dum animus eſt in dubio, huc & illuc facile impellitur. Donec uero ſatis aquæ nõ erat uinum eqs dabatur, & tandem uis aquarum e cælo ſubſidium uenit. Hoſtes autem quia deditionis ſublata ſpes eſſet fruſtra teſtudine uſi ſunt. Nãq; ſaxis ingentibus facile moles lignea corrumpebatur, deinde fruſtra identidẽ hoſtes conabãtur lapidem ſuffodere, quia illius nimia durities erat, deniq; tormentis militiæ ꝑ triduum geſta res eſt, & ſimul ac turris etiam colapſi fornices eſſẽt, ubi laſſi prius milites ſolebãt uiciſſim quieſcere ad certamẽ iterum uentum eſt. Hoſtes fortiſſimi q;

In mõtem anteire, ſcalas admouere, murũ aſcendere. Contra oppidani ruinas muri ꝓ munimentis habere, fortiter ſtare, ſemouere hoſtẽ miſſilibus telis, & nihil tutum munimẽtis pati. Hoſtes tandẽ elaboratis ignibus uſi ſunt, ſimul ac alia parum ꝓſunt ſuffragia. Et quidem iſtud nouũ genus ignis quod frequẽter ꝓiiciebatur in turrim maſſæ & pilæ erãt intus cõpactis e ferro fiſtulis, unde ui ſulphurea cum fragore et ſtrepitu pilulæ exibãt, quæ ſecũ afferebãt ignis & fumi fœtidiſſimi ingentẽ copiam. Contra oppidani paratas aquas habebãt, & ſtatim ſummouebãt incendia. Neq; tamen plures erant ꝗ̃ uiginti quatuor uiri ſtrenui, atq; etiã bipartiti hoſtibus obuiam ibant. Nãq; uiriũ reparatione frequenter opus erat, dum prœliũ atrox & diutinũ gereretur, atq; hoſtes deniq; repulſi ſunt, & nunꝗ̃ potuerũt Oſopiũ capere, ꝗ̃uis duo millia peditum, & quingenti equites eſſent. Itaq; Hieronymus ſauorgnanus ex ea re egregiã laudẽ quæſiuit uirtute & rei militaris exacta peritia, oĩaq; aſpera & difficilia ſuperaſſe uidebatur, atq; ideo cunctis ſuffragiis receptus in ſenatũ, & muneribus cumulatus eſt. Interea Romæ de pace iterũ agebatur & cum Veneti cõtẽti eſſẽt Veronã Cæſari relinquere, germani Veronam & Vincẽtiã uolebant, & iccirco de pace deſitum eſt & ceptũ agere de induciis, ut illæ annales eſſent, ſi intra quadraginta dies ita uelit pars utraq; & Rex romanorũ ꝓpterea retineat Bergomũ Brixiã & Forũiulii. Veneti uero hẽant Pataniũ et Tauriſiũ,

atq; in

atq; in manu Pōtificis Crema & Vincentia colocētur, tantiſperdum de pacis cōditionibus dicatur. Sed Venetis ea ualde moleſta res erat, quia deſcitū iri a Pontifice uidebatur & hoſtibus poſſeſſionis legitimæ aliqua facies futura, atq; ideo Petrus landus orator q̄tū in ſe erat cum Pōtifice agebat ne fieret. Pōtifex uero qa iā Cæſar magnificū Iulianū Senarū urbis & Lucæ Dominū inſtituerat, atq; alioquin arma hoſtiū uerebatur, potius uolebat Regibus rem gratā facere, & tandē inuitis Venetis cum Rege romanorū pacem eiuſmodi ꝓmulgauit, ut ea foret ꝑpetua cōditionibus ſeruatis ꝑ an̄ū in pectore Pōtificis, et interea cedat Cæſari Brixia Bergomū et Verona, Veneti poſſideāt Patauiū & Tauriſiū, Crema & Vincentia in manu Pōtificis ponātur, & de reliquis quiſq; retineat quod in p̄ſens habet. Illud uero tēporis utriq; parti ſtatutum eſt in menſem ꝓximū ratifacere, quod niſi fiat, nulla ꝓmulgatio haberetur, & ſi fiat Veneti ſoluerent uigintiquinq; millia numū poſt menſem Cæſari, atq; inde totidē poſt tres menſes alios. Nāq; Pōtifex hanc ſolā uiam reperit, qua uiſum iri poſſet ſe nō nihil egiſſe, & nō cōfectæ pacis oīs cauſa in germanos cōuerti ſicut acta res eſt, dum Veneti nunq; cōpulſi ſunt ratifacere, et germani anteuenire indignū putāt, ut deniq; illi tergiuerſari uiſi ſint, ſimul ac infecta re male cōtentus Cardinalis Gurgēſis repedauit in germaniā. Et qdem Pōtificis ea mens erat, gallica & hiſpana cōnubia diſturbare, & cū germanis et hiſpanis

in ſancitum fœdus pſiſtere, donec deſideratas urbes Vrbinũ Ferrariã Lucam & Piſas Iuliano fratri ſubiiceret. Sed poſtq̃ Regis hiſpaniæ cum Reze gallorũ ãnales induciæ factæ ſunt, & Regi germaniæ et angliæ locus ſeruabatur, unde futuræ nuptiæ putarentur, Põtifex declinare ad Venetos uidebatur, & operam dare, ut ſuarũ partium heluetii & gallorũ Rex eſſet. Dũ uero ea oia in quæſtioné ueniſsent Veneti parabant Forũiulii recipere, & quia in Liuiano ſita omnis ſpes erat, ille cum ducẽtis militibus, quadringentis leuitibus, & ſeptingentis peditibus in eam expeditionẽ magnis itineribus cõfeſtim ibat. Et quia copiæ hoſtiũ partitæ ſtabant ad portũ Naonis & Oſopium primo quoq; tẽpore ad portũ Naonis præmiſſi equites cum forte ante oppidũ offendiſſent pfectũ Rizanum cum ducentis militibus, & trecentis leuitibus illos audacter aggreſſi ſunt. Et primo quidé Veneti leuites uincebantur, ſed poſtea cum milites ſubſidio ueniſsent redintegratũ præliũ eſt, & illud ſtetit ambiguum, q̃uſq; Rizanus ſaucius in facie, Malateſtæ balionii in poteſtatem uenit. Quia deinde hoſtes oẽs alii in oppidum fuſi fugatiq; ſunt, & cum Veneti oppidum obſediſſent, & acriter agerẽt, hoſtibus tandem neceſse fuit aufugere, atq; oppido capto de oppidanis magna cædes ædebatur & oia prædæ militibus conceſſa ſunt. Cum primum uero ea quæ geſta fuerant nunciarentur Chriſtophoro & hoſtibus qui apud Oſopium adhuc erant, ſtatim obſidione ſoluta

uerſus Scluſam ibatur. Et quia Veneti leuites ſemper hoſtium ueſtigia ſequebantur, illi denicp impedimenta & tormenta militiæ reliquerunt, & fugerunt expeditius in germaniā diruptis poſt ſe pōtibus, & paſſim interciſis itineribus, ut Veneti ad Vēzoniū et Scluſam repulſi ſint, quia nuſcp potuerunt ſaltus antecapere. Liuianus autem cum exercitu uenit Guritiam oppugnare. Sed quia armis uiriſcp eā urbē bene munitam uidet, & copias tempuſcp tanto operi nō ſufficere, tandem putauit ſatis actū in Foroiulii, quando mille equites germanorū hoſtium aut cæſi, aut capti ſunt, & omnes alii pedites ad quatuor millia hominū ꝓtinus in germaniā fugerūt, atcp inde uerſus Tauriſium & Patauiū ibat quid hoſtes agant reuiſere. Vix Liuianus abierat, & germani hoſtes iterum oppido Cromonio & Mōfalconio potiti ſunt Venetorū militum incuria. Nācp quadraginta equites, & ducenti pedites hoſtium illa duo oppida ceperūt, q̄uis Ioannes uictorius legatus Foriiulii ſubſidio ſtaret cum quingentis leuitibus, & ſexcentis peditibus, et adhuc omnes milites q nuper ex Foroiulii diſceſſerāt iuxta Plauim eſsent & amnem Liquentiam. Et quod peius erat germani hoſtes in dies magis magiſq; dicebantur cōfluere in ꝓuinciā Foriiulii, & maius ꝑiculum imminere uidebatur. Igitur citi Veneti arma expedire, bellum parare, exercitui ſupplementū mittere, denicp cōtra hoſtes acriter ſtabatur, & āplius quia uiſi ſunt poſse Maraniū reciꝑe ꝓtinus in eam expe

ditionem ibatur. Et primo quidem Hierónymus ſa-
uorgnanus cum quingentis peditibus in centum pe-
dites hoſtium magnam impreſſionem fecit. Nāq; Ve-
neti intereūdum ad Maranium forte illis obuiam ue-
nere, et interiecto certamine hoſtes fuſi fugatiq; ſunt.
Et quia fœlicia initia ſauorgnani fuere, illi rei agen-
dæ demandatum negocium eſt. Nāq; in eo præcipue
ſita ſpes erat, quāuis & parte altera ingens claſſis
eſſet, & terra mariq; contra oppidum ageretur. Ea
uero res gerebatur maxime operibus, quia paulatim
uerſus oppidum humus congerebatur, & altis agge-
ribus ſemper ulterius ibatur, quēadmodum & Cæ-
ſar olim fecit ad Auaricū. Poſtq̄ autem ad foſſā op-
pidi uentū eſt freq̄ter agebatur tormentis militiæ,
& uiciſſim multa leuia certamina fiebant. Nup uero
hoſtes auſi ſunt eruptionē repente facere, & ſupare
munimēta, q̄ noctu et iterdiu fiebāt. Et q̄a noctu geſta
res eſt, magis aſpera pugna fuit, et multi utrinq; ca-
debāt, deniq; Veneti cedere uidebātur, niſi Hierony-
mus ſauorgnanus parte alia cū delectis peditibus ſta
tim obuiā hoſtibus ꝓrupiſſet. Itaq; redintegratū ꝓliū
eſt, & tandē hoſtes repulſi ſunt, munimētaq; ueneta,
& locus ſpirituū ſeruabatur. Verū Venetis ſociis in
dies maior difficultas apparebat q̄uis eſſent centum
triginta milites, q̄ngenti leuites, & ſeptingēti pedites
cū manu collectitia ad duo millia hominū, & contra
hoſtes in Maranio nō niſi ducēti oppidani & polloni
trecēti pedites erant, quia hoſtes amplius apud Gra-

diſcam ſubſidio ſtabant, & ſæpe pugnabant cum noſtris, qui contra ad caſtrum propeti morabantur. Sed nuper cum Chriſtophorus frangipanes Ioannem uictorium & Venetos temere ſequeretur præcipitauit in inſidiis, & captiuus Venetias abductus eſt, atque identidem parte alia hoſtes ad Maranium repulſi ſunt, cum noctu ueniſſent munimenta igne & ſulphure deſtruere. Aliter Venetis parum ceſſit ex ſententia quando poſtea terra mariq; Maranium capere aggreſſi ſunt, quia non omnes manſerunt in officio. Nãq; alioquin tormentis militiæ propugnaculum Ioãnis prociderat, & iter in oppidum patebat. Sed cum primi acriter in hoſtes agerent, poſteriores ut par erat, noluerunt ſuccedere, & tandem Veneti repulſi ſunt, qui alioquin uincere merito debebant. Et amplius hoſtes ex germania octingenti equites, & quingenti ſupra duo millia peditum feſtinabant Maranio ſuppetere, quæ cũ primum Venetis nunciarentur, illi ſtatim obſidione ſoluta pene in fugam conuerſi ſunt, & dum neſciunt quo uadant, quia & diſcordiæ inter Duces ortæ erãt, demq; partim urbem Vtinum, & partim Ciuitatem Foriiulii ingreſſi ſunt, dum putant urbes illas ut ſeruẽt id ſolum poſſe e republica facere. Igitur hoſtes in Maranio poſito præſidio ſua ſæuitia paſſim utebantur agros uaſtare, prædas agere, comburere, ſubuertere, & uictis nihil reliqui facere. Et icciroo Venetorũ omnis exercitus ad Vicum p̃domanũ uenit, ubi impedimẽto hoſtibus, & ſo

ciis auxilio ſtaretur. Quod cum hoſtes uiderent propterea non poſſe impune prædas agere, adeo multi abierunt in germaniam, ut iterum ueniret in mentē Venetis Maranum recipere, niſi nuper apud urbem Vtinum parum ex ſen enia ceſſiſſet, non quia hoſtes plures eſſent, ſed quia exploratores ſedulo non habebantur. Nāq; legatus Victorius dum putat cum quadringentis leuibus uenientibus hoſtibus poſſe obſiſtere, temere miſſos fecit pedites & milites uerſus Vtinū. Igitur cum primū plures hoſtiū ueniſſent quā putarat Veneti leuites fuſi fugatiq; ſunt, & ipſe cum centum equitibus in hoſtium poteſtatem uenit. Atq; amplius hoſtes impetum fecerunt in abeuntes pedites & milites, quorū etiam multi cæſi aut capti ſunt, & pauci integri in urbem Vtinum fugerūt. Atq; idcirco neceſſe fuit ſtatim ingens ſupplementū exercitui mittere ſimul cum Duce Vulpenſi equite & Petro marcello, qui legatus in caſtris Foriiulii ſuffectus eſt. Nāq; alioquin polloni hoſtes etiā terra mariq; prædatum frequenter ibant, et nuper illi totū quoq; Latiſanium prædati ſunt, & uidebantur paſſim facturi identidem, niſi ubiq; diſtribuerentur cuſtodiæ, ſicut & factum eſt, atq; hoſtes apud Ciuitatem Foriiulii fuſi fugatiq; ſunt. Et identidem illis parum ceſſit ex ſententia, dum locum Aries pertentant capere, quia fortiter illis obuiam ibatur, & tandem hoſtes repulſi ſunt. Itaq; frequēter res erat, & leuia certamina fiebāt, donec tandem induciæ factæ ſunt, quia ſua utri-

uſq; intererat uindemiam facere, q̃uis cum inducijs etiam hoſtes ſæpe dilaberentur ad prædam ſolitam. Nãq; germani alioquin ſtipendium parum habent, & gentilicium mos eſt ſemper agros uaſtare, & prædas agere. Interea hoſtes hiſpani apud Ateſte oppidum Montagnanam & Coloniam erant quingenti milites, trecenti quinquaginta leuites, & tria millia peditum & cum de iis quæ fiebant apud Forũiulii certiores fierent, ut Venetos a propoſito diuerterẽt, illi primo quoq; tempore arma expedire, bellũ parare, feſtinare, facere, & in nouam expeditionem exire, deinde ducenti quinquaginta equites, & mille pedites uaſtatis paſſim agris, uſq; Patauium ad duo millia paßuum magnam prædã animalium egerũt. Et amplius præfectus Archon ex Montagnana Bibaquiam, & Coloniam uenit centum octoginta milites, centum leuites, & quingentos pedites colligere, atq; ire Vincẽtiam, & auxilio pergere in Forũiulii. Quod cum Veneti uiderent, ſtatim iubent leuites ad Vincentiã, Ciuitatulam, & Maroſticã, ſaltus omnes antecapere, et hoſtibus inceptum iter præcludere. Sed hoſtes alioquin quia Foriiulii confectum negocium intelligũt Viceregem expectabant, qui cũ toto exercitu poſtq; Vincentiam uenit frequenter conſultabatur, quomodo ipſi poßent Liuianum cum uictore exercitu intercipere, & tandem decreuerũt uerſus Ciuitatulam iter arripere, atq; inter montem Bellunũ & Taruiſium ad Plauim amnem locũ antecapere. Sed poſteaq; ui

dent non poſſe fieri ex ſententia, ad Montagnanã & priores ſtationes partitis copiis ut prius temere ſtabatur. Igitur Linianus qui nuper Patauium redierat, ea rerum bene gerendarum occaſione uti ſedulo parabat contra hoſtes ducentos equites, & duo millia peditum, qui apud Ateſte oppidum morabantur, ſi modo poſſit inter Ateſte et Mõtagnanã ſuper Ateſteſes hoſtes pluuiis altas aquas intercidere. Sed poſtea facere ſuperſedit, quia hoſtes reſciuerant, dum palam nimium ageretur. Et amplius hoſtes propterea arma expedire, cuncta utilia parare, impedimẽta & ſcorta Veronam dimittere, & ſtatim in expeditioné exire, agros uaſtare, prædas agere, & totam regionem igni ferroq; ſubuertere. itaq; primo ad turres prope Vincentiam caſtra hoſtium ſita ſunt, ubi & ſtatum eſt, donec paſſim meſſis pararetur, deinde quia uident trecentos leuites Venetorũ cum duce Bernardino antignolio & Hãnibale lentio apud Ciuitatulã temere perſiſtere, protinus ea occaſione uſi ſunt, & ſummo mane perrexerũt oppugnare Ciuitatulam. Sed primũ certamen hoſtibus ſanguinolentum fuit, & illi repulſi ſunt, quia nondum muri ſatis prociderant. Nãq; alioquin cum hoſtes acrius egiſſent tormẽtis militiæ per ruinas muri facile oppidum ingreſſi ſunt fuſis fugatiſq; Venetis, quorum multi etiam cæſi ſunt, & plures uenerunt in poteſtatem hoſtium. Nihilominus cũ uictore exercitu hoſtes ad turres ſtabant, & quãuis Venetorũ omnis exercitus ad Brentellas foris eſſet,

ſrequenter ibāt prædas agere, nulli ſexui parcere, & in omne ſcelus truculenter corruere. Atq; ideo iterum fuga paſſim fiebat, & cum paupere ſupellectili ad montes & ciuitates ibatur. Poſtq; autem ea parte deſolata eſſet omnis prouincia, quia pabulandi locus aberat, hoſtes caſtra inde poſuerunt inter Montegaldam uillam et Bachilionem amnem uerſus uillā Celuareſiam ſtatione tuta exercitui propter apricos colles & amnem irriguum. Contra Liuianus caſtra huc & illuc uerſus hoſtes mouebat, & ſemper ſtabat intra fida diuortia Medoaci fluminis, loco tuto & munito uallo & aggeribus, quia ſua intereſt non pugnare, ſed ſine enſe nudo cum ligone & ſcalpro ſuperbū hoſtem ſubigere, tantiſper dum utitur iſta diſciplina Sertorii, & conatur caudam potentis equi uiciſſim uellere. Vſq; adeo Veneti leuites ſociis auxilio ſemper in hoſtes ibant, leuiaq; certamina committebant, et nuper Mercurius bua cum trecētis græcis equitibus ad Camiſanam uillam hoſtem fudit fugauitq; cū multorum pernicie, quia nimium temere & confidēter ibatur. Sed Venetis patribus caſtrorū adhuc locus ſuſpectus erat, & iccirco Dominicus triuiſanus & Leonardus Mocenicus pater meus Patauium uenerunt locum ſcrutari & proſpicere, ne inde reſpublica detrimentum aliquod pateretur. Et tamen ubi antea ſtabatur, quia locus munitus erat undiq; alto flumine, diſtributis ordinibus, & tormentis militiæ, & ultra flumen ſuper iter, quod duobus pōtibus iū-

gebatur duorum milium peditum præſidium erat, & a fronte uerſus hoſtes diducta alta & lata fouea, congeſtus agger, et diſpoſita tormēta militiæ, ut hoſtes non poſſint niſi cum ſuo magno malo in certamē deſcēdere. Quod identidem eſſe ſimul ac hoſtes etiā conſpiciūt, ſtatim inde receſſum eſt, & itum caſtrametari Coloniā Mōtagnanā & Ateſte oppidum iterum, quia ea loca opulenta ſunt, & prope habent peninſulam rhodigii frumentariam. Et amplius hoſtes centū quinquaginta milites, ducenti leuites, & quingenti pedites prædatum uſq; Caputaggeris digreſſi ſunt, ubi miſeri agricolæ cogerāt animalia, neq; ſolū terreſtri, ſed & fluuiatili itinere ibatur. Nāq; hoſtes omnes lembos & nauigia collegerāt, atq; ibant etiā per amnem Atheſim. Et quidem apud Caputaggeris acriter geſta res eſt, ſed hoſtes tandem repulſi ſunt, quia intus fortiter præſidio ſtabatur, & hoſtes nimiū feſſi erant propter iter longum & incōmodū. Quare potius conuerſi ſunt in Monaſterium Cādianæ uillæ, ubi poſthabita religiōe omnia prædæ militibus fuere. Et quia germani præcipue prædas agunt & truculenter ſæuiunt, Nicolaus uendraminus & Mercurius bua cum quingētis leuitibus per uallem Sugand uſq; tridentum in germaniam uenerūt identidem facere agros uaſtare, prædas agere, uillas capere & comburere. Atq; amplius cum claſſe ex Curita inſula in frangipanorū loca Buchari & Bucharige audacter itum eſt, cæſiſq; hoſtibus & ui captis oppidis, omnia

prædæ nautis fuere. Sed ea non impune fiebant, quia præcipue in Iſtria frangipanes hoſtes erant, ſimul ac iniuriam ulciſci uolunt, quam ſibi ex Curita inſula parata claſſis intulerat. Et quidem per totā prouinciam multum prædati ſunt, donec pepigerunt inducias, quæ tamen poſtea parum ſeruabantur, dum hoſtes etiam uolunt prædas agere, & ſi quādo Veneti conquerebātur et admonebant inducias intercedere, præſides hoſtium uiciſſim aiebant earum rationem habendam eſſe, atq; id fieri non ex eorum ſententia, & propterea Veneti omnino uolebant inducias ſeruare, q̄uis facta hoſtium uerbis cōſentanea non eſſēt. Parte alia alioquin apud Patauium bellum uigebat, & quia palam nihil fœliciter attentari poterat, Liuianus cum hoſtibus inſidiis agebat, & ſæpe uincebat ſtratagemmate. Atq; nuper idētidem quia uidet multos hoſtium cum multis nauigiis onuſtis cōmeatu & mercibus temere apud Ateſte oppidum ſtare, ſtatim iubet uti ea occaſione Antonium caſtellium cum ſexcentis peditibus, & ducentis equitibus. Igitur ille cum illuc ueniſſet nocte media cōfeſtim admotis ſcalis oppidū ingreſſus eſt, & quia hoſtes tale nihil expectabant, & ſemiſopiti erant, de illis magna ædita cædes eſt. Nāq; omnes ſibi cōſtare non poterant, alii ſtare, alii arma capere, alii ſubterfugere. Contra Veneti cæſis hoſtibus igni ferroq; omnia complere, uaſtare, diripere, plusq̄ ducentæ uegetes uini profuſæ ſunt, abacta animalia, combuſta nauigia cum diuite

ſupellectili, & deniq; cum multis captiuis, & magna præda impune receſſum eſt. Poſtea quoq; contra hoſtes ibatur partitis copiis & diſtributis ordinibus, ad Fraxinum, ad Bouolonũ uillam, ad Ateſte oppidum, ad Saletum, & ad Bibaquiam. Et quidem magna uictoria parta eſſet, ſi ſtatuto loco & tempore noctis egiſſent. Sed quia mali & inſcii uiatores erant, qui ad montes & ad Ateſte oppidũ ibant obſtrepere timpaniſtæ & tubicines capti ſunt, & ſtratagemma innotuit. Linianus tamen propugnaculum ui cepit ad Bibaquiam in quo cum Moriglionus eſſet cum centũ quinquaginta peditibus, ille cum multis aliis in hoſtiũ poteſtatẽ uenit, & cæteri omnes cæſi ſunt. Atq; amplius cum parte copiarũ itum eſt uſq; ad portas Mõtagnanæ Viceregem cum exercitu ad prælium prouocare, & ille nunq; auſus eſt in certamen deſcendere. Adeo ſemper aduerſus imparatos hoſtes, quæcunq; uires magnæ eſſe uideri ſolent. Hoſtes autem propterea uenerũt ultra amnem Atheſim ad peninſulam rhodigii, quia fida ſatis prior ſtatio non habebatur. Sed frequenter etiam multum nocuit nimia cõfidentia. Nãq; dum temere ſtatur ultra Atheſim ad uillam Zeneũ cum ducentis leuitibus, facile fuit Malateſtæ balionio & Mercurio bua cum leuitibus uenetis incautum hoſtem opprimere. Et quidem noctis ſilentio ea geſta res eſt, atq; in traiiciẽdo Atheſi difficultas fuit, quia oportuit abſcindere compacta repagula & ferrea lamina. Sed poſtea quia in ſola fuga

ſpes hoſtium ſita erat, de illis magna cædes ædebatur, & nōnulli combuſti ſunt, qui in domo quadam ſe tueri uolebant. Et quia propterea Veronæ tumultuatum eſt, trecenti milites, ducēti leuites, & octingenti pedites ſub Archone præfecto in urbem recepti ſunt, & paulopoſt Vicerex etiam Veronā uenit, & manſerant ſuper rhodigiana polleſino nō niſi trecenti milites, et mille pedites, qui Veronā etiam propediem ituri erant. Igitur Liuianus non expectandū ratus in tanta occaſione rerum bene gerēdarū, adeo taciturnitate & celeritate uſus eſt, ut Atheſim traiecerit, & Rhodigium ingreſſus ſit, anteq̃ hoſtibus nunciaretur. Illi tamen trecenti milites ad forum acriter obſiſtere auſi ſunt, & primo anceps certamen fuit. Adeo ſemper homines potētiores apparent, quādo nulla ſpes ſalutis ſupereſſe uideatur. Deniq; uero ingruente multitudine hoſtes oppreſſi & cæſi ſunt, atq; ingens præda militum fuit. In eo bello optime ſe geſſit Baldaſar ſcipionius, qui Dux itineris & expeditionis erat, & primus urbē ingreſſus eſt. Atq; amplius actum foret de cæteris equitibus & peditibus hoſtium, qui omnes in oppidum Abbatiam confugerant, niſi milites Veneti defeſſi eſſent ambulando dieno ctuq; ſub dio pluuioſo per lutoſa itinera. Aliter dū ſtatur hoſtes relicto etiam Lenniaco confeſtim Veronam in pacatum fugerunt, & quia inibi propter inſolentiam hiſpanorum militum multæ diſcordiæ ortæ erant, Liuianus in ſpem urbis potiundæ iterum du

ctus eſt, & quantum in ſe erat ea occaſione utebatur. Nãq; ad Oppianum prope Lemniacum ſtatim uenit ſimul cum claſſe lemborum, & deinde Veronã propius ad uillam Ceream ſtabatur, donec oportuit locũ antecapere, ſimul ac hoſtes trecenti milites, quingẽti leuites, & ſex millia peditum Lemniacum feſtinare uiſi ſunt. Nãq; hoſtes alioquin cõmeatus Venetis facile poſſent intercipere & illos cogere aut cõfligere, aut recedere, & quia nihilominus omnis exercitus hoſtiũ uerſus Venetos feſtinabat ad Atheſim & Lẽniacum, Liuianus ſtatim iubet leuites ut prius ueſtigia hoſtium ſequi, & nuſq; manum conſerere, ſed cũcta ſcrutari, & ſe in momenta certiorem facere. Ipſe uero omnia impedimenta dimittere, & cum equitatu & peditatu ſemper in procinctu ſtare, locare tormenta militiæ, ordines diſtribuere, feſtinare, parare, facere, ac ſi ſtatim cum hoſtibus confligendum eſſet. Sed tantum abfuit, ut hoſtes potius ad Rouerchiaram uillam iuxta Atheſim caſtrametati ſint, qui locus abeſt a Lemniaco quinq; millibus paſſuum, atq; inde paulopoſt ad Tombam uenerunt & traiecerũt Atheſim ad Alboretum, ubi magnam inopiam commeatuum paſſi ſunt, quia claſſis fluuiatilis & Veneti leuites nunq̃ ceſſant uetare, intercipere, corrũpere. Hoſtes tamen expectabãt, donec perageretur res Bergomi. Nãq; cum Laurentius cerinas eam urbem deditione cepiſſet, & cuſtodiret ualido præſidio, Vicerex hiſpaniæ cum Proſpero columna & quinq; milli

bus hominum ſtatim Bergomum uenit, & ad portam Catherinæ ciuitatem obſedit. Et primo quidem tormentis militiæ acriter geſta res eſt, poſtea atrox certamen fuit, & quia muri nondum ſatis prociderant hoſtes nequiuerunt in urbem uadere. Sed cum iterum tormentis militiæ ageretur, & proſternarentur mœnia, hoſtes parabant iterum in certamen deſcendere, quod cum uideret Laurentius, quia non poßet obſiſtere, protinus deditionem fecit, & omnes qui ad duo millia hominum erant, abire impune dimiſſi ſunt & propterea res ipſa ſuſpitione non caruit. Itaq; capta urbe Bergomo Liuianus non expectandum ratus Viceregem cum copiis, ſtatim iubet Dominicum cõtarenum legatum cum omni equitatu grauis armaturæ ad Anguilariam terreſtre iter tenere, leuites omnes ad Monſilicem obuiam hoſtibus ſtare, qui Ateſte oppidum iam antea uenerant. Ipſe uero cum omni peditatu impedimentis & tormentis militiæ, ſuper lembos & maiora nauigia, ſecundo Atheſi flumine noctis ſilentio uectus eſt, propter ingentem pluuiam & ualde lutoſa itinera. Et quia equitatus traiecto flumine ad Anguilariam Patauium per biduum pedites anteuenit, rerum bene gerendarum hoſtibus oblata occaſio uidebatur. Illi tamen ea uſi non ſunt, quia aquæ nimium altæ paſſim erant. Igitur Liuianus uſus celeritate conſueta tandem cum exercitu impune Patauium uenit. Et quia hyemis tempus erat exauthorauit milites inutiles, & deinde partitis co-

piis ad Patauium & Tauriſium ſtabatur, atq; ad Caput aggeris aquæ ſuper hoſtes abſciſſæ ſunt, quia illi ſuper peninſulã rhodigii hyematũ uenerãt.

ANDREAE MOCENICI .P.V.D.

LIBER SEXTVS HISTORIAE.

POSTEAQVAM inter gallos & hiſpanos annales induciæ prorogatæ ſunt, in dies magis magisq; agebatur de nuptiis filiæ Regis gallorũ Rayneriæ cũ Ferdinãdo fratre Ducis Burgũdiæ, atq; identidem Iulianus medices operã dabat ſororem Ducis alobrogum uxorem ducere, & quia per eos dies uxor Regis gallorũ perierat, uidebatur pacis præſentaneum remedium fore, ſi ſoror Regis angliæ pulchra adoleſcentula Regi gallorum nuberet. Et quidem Rex angliæ uelle id facere uidebatur, ſimul ac æquo animo ferre non poterat, ſe inuito Regem hiſpaniæ inducias feciſſe. Sed uolebat Neruim urbem tenere, & habere annuum uectigal numum quinquaginta milliũ, atq; in his decẽnium decies cẽtena millia, & tandem Rex gallorum ſororem Regis angliæ uxorem duxit, atq; iſtis conditionibus pacem facere paſſus eſt, ut poſſet heluetiorum audaciã cõprimere, & uenire iterum in Italiã. Igitur Rex gallorũ feſtinare, parare, facere quæcũq; utilia uiderẽtur

& quia ſuper ea re mens Pontificis in incerto erat, rogabatur identidem ſententiam dicere, & quantum auxilii Regi gallorum laturus eßet. Ille uero ſemper aiebat, ſe nolle quicq̃ palam facere, donec oppoſitum uideretur, quia Rex miſſos feciſſet mille ducentos milites, & decem millia peditum. Nãq; Põtifex alioquin diſſimulabat cum Rege gallorum, & opem pollicitus hortabatur eum in Italiam feſtinare, quouſq; eius aduentus incertus eſſet. Sed poſtq̃ innotuit Regem per annum non acceſſurum in Italiam, Pontifex ſtabat cum Rege germaniæ & hiſpaniæ, Florẽtinis, Genuenſibus, Mediolanẽſibus & Heluetiis, atq; enixius curabat Venetos cum Rege romanorũ componere. Sic enim putabat facile fore ut Rex gallorũ ab incepto deſiſteret, quia ſine Venetis ſociis illi ueniẽdi in Italiam nimia difficultas eſſet. Sed Veneti ſemper uoluerũt fidem inuiolatã ſeruare, quam ſemel Regi gallorum præſtiterant. Et cum ad eam rem nomine Põtificis Petrus bembus ex Roma Venetias ueniſſet, illi nunq̃ paſſi ſunt Veronam Cæſari relinquere & pacem facere. Itaq; Pontifex poſtq̃ uidet Venetos ut putarat ſuarum partium non fore, & Regem gallorũ cum exercitu in Italiam feſtinare, non ſatis ſciebat quid faceret. Et quia hinc hiſpani, inde galli ſæpe Põtificem petebant, ſe ſuarum partium oſtendere. Ille ſemper differebat in tempus aliud, dum malet pacẽ omnium curare, quẽadmodum fieri ſtudebatur, ut ſe poſitis armis Mediolanum Regi gallorum cederet,

& unicuiq; redderetur quod ſuum eſt. Interea uero Ludouicus Rex gallorum morte præuētus occubuit, & in eius locum Franciſcus gener eius ſuffectus eſt, atq; illico Veneti cum eo innouarunt uetera fœdera, dum ille qui munificentiſſimus eſt meritiſſimos quoſq; donis ampliſſimis accumulat & uacat haſtiludiis, quēadmodum et Liuianus in honorem eius apud Pataiuum fecit & magnifica haſtiludia geſta ſunt. Nāq; in eo ſolo Venetorū ſita ſpes erat, & frequenter rogabant in Italiam feſtinare. Sed ille nolebat in expeditionem exire, niſi domi prius omnia pacaſſet. Igitur primo quoq; tempore pactis nuptiis ſibi conſanguineum fecit Ducem geldriæ, Ducem cleues, & Ducē legiæ, ut illi ſi opus eſſet obuiam irent Regi romanorum & heluetiis. Nāq; heluetii æquo animo ferre nō poterant Regem gallorū ſibi rem Mediolani & Genuæ audacter aſciſcere. Aliter cum Rege angliæ fœdus ſancitum eſt, & Dux Burgundiæ Regi gallorum ſponte debitum omagium detulit, atq; uolebat eius conſanguineū fieri, & Rayneriam in coniugem ducere. Franciſcus autem Rex gallorum cum Pontifice Leone decimo quantū in ſe fuit ſemper egit, ut unum uelle et nolle uiciſſim eſſet, ſed tantū abfuit, ut paulo poſt inter Pontificem Regēq; germaniæ & hiſpaniæ, Ducem Mediolani & Genuæ, Florentinos & heluetios, contra gallos & Venetos clandeſtinū fœdus initum ſit, quo tenerentur heluetii ad duodecim millia hominum in burgundiā irrumpere, dūmodo darentur

in menſe quolibet triginta millia numũ, & alia totidẽ ſi eorum aliis duodecim millibus in Italia opus eſſet. Atq; amplius Rex hiſpaniæ iam cõpletis induciis res nouas moliri uidebatur ad confinia Vaſconiæ. Igitur Dominus Lutrech cum mille militibus contra hiſpanos uenit, & ſimiliter aduerſus heluetios Dominus tremuliæ cum copiis in Burgundiã, et Ioannes Iacobus triultius cum octingentis militibus in Prouinciã profectus eſt. Interea uero Rex romanorũ fruſtra tentauit in fraimburgenſi conuentu nepotem ſuum Ducẽ Burgũdiæ in Regem romanorũ ſubrogare, quia forte inter agendum Maguntinus Archiepiſcopus morte præuentus eſt, & ſimiliter fruſtra iterum iterumq; hortatus eſt Viceregẽ hiſpaniæ in Forũiulii cum copiis ire, quia nimium illi factu periculoſum uidebatur. Itaq; iratus Rex romanorũ diuertit ad Regem Pannoniæ & Polloniæ contra Venetos auxilium implorare, & ad eam rem ſimul & contrectãdis Regũ nuptiis Cardinalis Gurgenſis in hungariam uenit, & egit de conuentu regum apud urbem Poſſoniũ. Nãq; alioquin dum Rex romanorũ Moſcouitis faueret, illi Rex polloniæ amicus non erat, adeo frequẽter pactis connubiis multæ inimicitiæ regum ſedari ſolent. Nihilominus Romæ, oratores germaniæ & hiſpaniæ ex altera, & ex altera galli & Veneti ſuper habendo Põtifice enixe contendebant, & maxime Petrus landus orator uenetus, & poſtea Marinus georgius ea opera frequenter uſus eſt, atq; aiebat ſi Põtifex animaduer-

tat Regis gallorum fidem, uires, potentiam, & opes cumulatiſſimas, nunq̃ diuertat ad Regem germaniæ & hiſpaniæ, quorum alter uelit Italiam ſubigere, alter aſpiret in dominiũ temporarium Eccleſiæ, quaſi aliter Cæſar ſemper auguſtus eſſe non poſſit. Sed Pōtifex pati non poterat Regem gallorũ cum exercitu in Italiam uenire, quãuis alioquin uerba daret & uideretur ſuarum partium fore, tantiſperdum apud ipſum in incerto res eſſet. Nãq; alioquin Dux Mediolani uerebatur, ne galli per urbem Genuam progrederentur in Italiam, quia frequenter inter eos de cōcordia agebatur, & ſæpe ibant & redibant uiciſſim nuncii, atq; ideo ut ipſi locũ antecapiãt primo quoq; tempore ab heluetiis in eam expeditionẽ ibatur. Sed heluetii ad quatuor millia peditum erant, & contra Octauianus fregoſius habebat circiter quinq; millia peditum, atq; amplius Pontifex cum exercitu uolebat ſuppetere, niſi oporteret potius rem ſuam agere, quando heluetii etiam Parmam & Placentiã parabãt ſubigere. Nãq; heluetii confluebant in dies amplius ad triginta millia hominum, ſed pleriq; contra gallos ad ſaltus montium anteuenerant, atq; octo millia peditum cum Duce Mediolani in expeditionem ibant, & contenti erant recedere ad iuſſa Pontificis, ſi modo Genuẽſes cōtra gallos uellent perſiſtere, atq; heluetiis dare numum octoginta millia. Rex autem gallorum propterea laceſſitus iniuria contra heluetios ingentes copias parabat, et cito traiecturus in Italiã

uidebatur. Et quia hucuſq; diſſimulauerat cum Pontifice, ille maxime uerebatur, & parabat mille milites ex numum ducentis quinquaginta millibus, quæ comparauerat ex inſtitutis & uenditis nouis officiis, quatenus alioqn maxime pecuniis egeret. Nãq; opes etiam ſubminiſtrabat hiſpanis & heluetiis, & tandẽ hiſpanis dedit bullã initi fœderis cum Duce Mediolani & heluetiis, atq; ultra ſuos milites uolebat Vrbinatem Ducem contra gallos in expeditionem exire non contentus cum gallis Parmam & Placentiã habere, & pro Iuliano fratre annales prouentus ad numum quinquaginta millia. Interea uer ſacrum uenerat, & hoſtes milites ſeptingenti, quingenti leuites, & tria millia peditum cum muralibus & campeſtribus tormentis militiæ, e ſtationibus parabant diſcedere, atq; eo maxime quia Veneti leuites ubiq; illis infeſti erant. Et nuper Mercurius bua uſq; ad portas Veronæ accurrerat, & cum comitem Chariati incautum oſtendiſſet munimenta urbis forte proſpicere illum intercipere tentauit. Sed ille ocyſſime arrepta fuga ſe proiecit in urbis foueam, & ſic e manibus hoſtium dilapſus eſt. Parte quoq; alia Ioannes naldius cũ centum quinquaginta peditibus repente traiecto Atheſi ad Anguilariam ante lucem adortus eſt leuites præfecti Peticii, qui ſuper rhodigianã polleſinum ad cõcas æneas ſtabant. Et quia illi nihil tale uerebantur multi cæſi & ſaucii, atq; triginta eorum capti ſunt. Igitur hoſtes omnes cum tormentis & inſtrumentis

militiæ conſtitutis ordinibus uidebantur uelle Vin-
centiam prædatum ire, niſi Liuianus cum parte co-
piarum protinus locum antecapiat, ubi tandè & duo
millia peditũ ex Patauio & milites ex oppidis e ſta-
tionibus collecti ſunt, & iuſſus eſt Laurentius præfe-
ctus peditum, qui nuper Tauriſium uenerat ſtatim
cum mille peditibus uerſus Vincentiam feſtinare, ut
ſociis auxilio iretur agros ſeruare, et Vermium ope-
rariorum ſericeos flocos, quorum precium ad tri-
ginta millia numũ ſummatim ferebatur. Deinde prope
hoſtes leuitibus Venetis ſtationes datæ ſunt, ut ſem-
per referant, quid hoſtes agant, & ubiq; illis infeſti
ſint. Hoſtes autem paſſim ex Verona Brixia, & Ber-
gomo copias in caſtra colligere, & præſertim ex ger
mania exercitui ſupplementum adcerſire, & poſtq̃
trecenti equites Põtificis, & ſupra quatuor millia ho-
minum in caſtra hoſtiũ uenere. Illi primo quoq; tem-
pore ſcorta & impedimenta Veronam dimittere, ar-
ma expedire, & bellum enixe parare. Deniq; paratis
omnibus ex ſententia omnis exercitus hoſtium Colo-
niam uenit, atq; inde uidebatur magnis itineribus re
pète Liuianum incautum aggredi uelle, quia ille ad-
huc cum parte copiarum Vincentiæ ſtabat, quãuis
Patres nullo pacto uellent rem uenetam belli diſcri-
men aliquod ſubire, dum Rex gallórum cum expedi-
tiſſimis copiis in Italiam feſtinaret. Sed Liuianus nul
lis rationibus adduci poterat, ut loco abſcederet, nãq;
proculdubio putabat, hoſtes nunq̃ facturos copiam

pugnandi,quia pauciores eßent , & ſæpe leuioribus certaminibus uincerentur. Sed alioquin contra ſpem euenit,quia hoſtes auſi ſunt uſq; ad Barbaranam uillam cum toto exercitu Venetis obuiam ire, & amplius ituri uidebantur , quaſi uelint propediem confligere. Quæ cum primũ Liuiano nunciarentur, quia ille conſtituerat manum cum hoſte nequaquã cõſerere, ſublatis repente ſignis noctis ſilentio uerſus Patauium receſſit, & impune ad Brentellas caſtrametatus eſt. Et deinde curabat nouos milites adſcribere , ut mille ducentos milites & decẽ millia peditũ haberet, quẽadmodum Patres uenièti Regi polliciti ſunt. Sed quia interagendum Imperatoris exercitus et præfecti peditum ſimultas occulta patuerat, Dominicus triuiſanus, & Georgius cornelius Patauium uenerunt eam diſcordiam compeſcere, & tandem nihil magis expediens apparuit , quàm primo quoq; tempore præfectum peditum uerſus Cremam abire, & uenientibus gallis fortiter agendo ſuppetere. Hoſtes autem incuſtoditam Vincentiam uenerant uaſtare, & diripere , & uictis nihil reliqui facere, atq; amplius cum omnis regio deſolata eßet, Leonicum uenerunt & deinde colligendis frugibus uacabant , quæ præſertim ſuper rhodigianam polleſinum nimia incuria præde hoſtibus relictæ fuerant. Et quia Liuianus tantam rerum iacturam æquo animo ferre non poterat , cum toto exercitu protinus Ateſte oppidum uenit, & contra hoſtes acriter ſtabat, ut rhodigianam polleſinum, intactaſque

fruges ſeruaret & diſturbaret conſilia hoſtium, qui ad duo millia equitum, & tria millia peditum ſemper intenti ſtabant cõmeatus abunde Veronam abducere. Itaq; uiciſſim ſtabatur, et quãuis hoſtes ſæpe pararent Venetis obuiam ire, & illuc uerſum itinera leuigare, non tamen niſi leuioribus certaminibus agebatur, dum hoſtes paſſim prædari uolunt, & Veneti leuites ſociis auxilio ubiq; ſunt. Iam uero Franciſcus Rex gallorum conuenerat cum Rege angliæ et Duce Genuæ, nihilq; habebat antiquius q̃ dare operam, ut primo quoq; tempore in Italiam iretur. Deinde feſtinare, parare, facere omnia utilia, et paſſim equites pediteſq; adſcribere. Deniq; cum omnia ex ſententia paraſſet ſtatim iubet Petrũ nauariũ cum decẽ millibus peditũ ſaltus mõtiũ antecapere, & probe proſpicere, quæ uia eſſet facilior. Deinde omnis exercitus duorũ millium militũ, & triginta milliũ peditũ Grãnopolim uenit, & cum auxiliaribus copiis pecuniiſq;, Duci Genuæ litteræ datæ ſunt, ut cum quingentis militibus, & decem millibus peditum Laurentio cerinati ſe iungat, & quantum in ſe eſt citra montes agat pro Rege Chriſtianiſſimo, atq; Dux Ferrariæ et Marchio Mantuæ commoniti ſunt identidem facere. Petrus autem nauarius cum ſcrutaretur ſaltus montium elegit locum inſolitum, quia explanato quodam cacumine inde apparebat uia commodior tormentis militiæ. Nãq; alioquin tres ſaltus montium habentur, quibus in Italiam itur, quorum duo Collis agni ad

caſtellum Delphinũ, & Peroſa difficiles & inuii ſunt tormentis militiæ. Tertius autem Suſa facilis eſt, niſi cuſtodes Suſanam ciuitatem petant, quæ claudit iter & ad pedẽ Mongeneurii ſita eſt. Sed quia intra mõtes perſiſtere difficile admodum erat, niſi commeatus abunde ſuppeterent, ordines heluetiorum citra ſaltus diſtributi ſunt, ad Suſam decem millia peditũ, ad Pinarolium ſex millia, & ad Salucium octo millia ubi ſtabat & Proſperus columna cũ trecentis militibus. Interea uero uenienti Regi gallorum uiæ parabantur. Nãq; parte alia ultra Padum ex Genua Dux Octauianus fregoſius cum quinquaginta militibus, & duobus millibus peditum ubiq; hoſtibus infeſtus erat, & parte alia citra Padum identidẽ faciebat ex Crema Laurentius cum ducentis militibus, quingentis leuitibus, & duobus millibus peditum agros uaſtare, prædas agere, atq; ipſa oppida in fidem Regis recipere. Nãq; heluetii ad uiginti millia hominũ ad Mõcalerium & Pinarolium conuenerant, ſimul ac galli ea parte traiecturi uiderentur. Et quidem illud ſtrategemma illorum fuit, quia interea ſine aliquo impedimento per uiam Argentariam ad confinia Genuæ gallorum omnis exercitus magnis itineribus in Italiam uenit, & in primo ueſtibulo ad Villãfrancam Dominus Palliſeus qui cum ſeptingentis militibus & ſex millibus peditum ſemper exercitum anteibat, Proſperum columnã cum trecentis militibus incautum offendit, & quia nihil tale uerebatur facile locus

ui captus eſt, & Proſperus cum militibus in hoſtium poteſtatem uenit. Et quidem ea iactura maxima heluetiorum fuit, quia non habebant alios equites, qui poſſet commeatui ſuppetere. Poſteaꝙ uero Regis omnes copiæ collectæ ſunt, uerſus Nouariam cōtra heluetios audacter ibatur, & illi nolle amplius confligere, ſed ad pacem declinare uidebātur de qua frequenter etiam agebatur. Non tamen galli deſiſtebant procedere, & maxime ſtudebatur, ne hiſpani iungi poſſet cum heluetiis. Nāq; hiſpani ad eam rem uerſus Placentiam ibant, ubi erat omnis exercitus Pontificis præter Marcūantonium columnam, qui cum centum militibus, ſexaginta leuitibus, & duobus millibus germanorum peditum præſidio Veronam conceſſerat. Liuianus autem cum toto ueneto exercitu identidem gallis obuiam monit, & ſequebatur hiſpanos, ut nuſꝙ iungi poſſent heluetiis. Heluetii uero retroceſſerāt ad Vareſium oppidum ſitum prope lacum Larium, atꝙ ideo gallorum omnis exercitus uſq; ad Buffaloriam uenit, & Ioannes Iacobus triultius cum trecentis militibus, & ſeptem millibus peditum longius iuit ad Fanū Chriſtophori prope Mediolanum ad duo millia paſſuum. Atꝙ inde urbē petere quatuor regii Caduceatores fruſtra præmiſſi ſunt, quia ſuperbe reſponſum eſt, & potius uiribus agendu eſſe uidebatur. Atq; ideo Ioanni Iacobo triultio cum copiis, & Petro nauario cum decem millibus peditum demandatū negocium eſt. Parte uero

alia Dominus Cletenſis cum ſexcentis militibus, & parte alia Liuianus cum toto exercitu Venetorũ uiciſſim moliebantur copias Pontificis Cardinalem Sedunenſem & heluetios incautos offendere, cum illi nuper Laudam ciuitatem prædatum ueniſſent. Sed tantum abfuit, ut Pontificii iterum Placentiã, & heluetii Vareſiũ cum magna præda anteuenerint, atq; exercitus Venetorũ Laudam uacuam intrauit, & Rex gallorum cum toto exercitu Marignanũ oppidũ uenit, quod Mediolanum & Laudam interiacet, ut uiciſſim ſemper auxilio ubiq; ſint & uetent hiſpanos pontificioſq; uſq; heluetios conuenire. Quãuis enim cum heluetiis de pace diu actum eſſet, & tandem uiginti duo obſides heluetiorũ haberentur, & darẽtur illis numum centum ſexaginta millia, ex octingentis millibus quibus conuenerant. Heluetii tamen iterum parabant in expeditionem exire, & uidebantur uelle gallos hoſtes decipere. Nãq; Cardinalis Sedunenſis ſtatim ex Placentia Mediolanũ uenit, & fœdus initum ſumma ope dehortatus eſt. Atq; amplius eo authore immitante Spartanũ Leonida rumor ceperat increbreſcere hiſpanos cum gallis certare, quibus auxilio ſtatim eundum eſſe uideretur. Igitur heluetii Mediolanũ uenerũt ad uiginti quatuor millia hominum, atq; inde conſtitutis ordinibus cum ingenti multitudine Mediolanenſium idibus Septembris hora diei uigeſima ſecũda gallos hoſtes ad Marignanum aggreſſi ſunt. Et quidem primo leuibus certa-

minibus agebatur, deniq; collatis ſignis certatum eſt per totam noctem uſq; ad diei ſequentis horas quindecim, dum pugna quantum alia unq; fuit ualde ſanguinolenta & atrox eſſet. Galli in caſtris ſtabant ſub ordinibus militiæ. Heluetii non deſiſtebant iterum iterumq; inuadere, & conabantur ordines diſturbare, modo per medias acies gallorum ire, modo præſidium, modo ſubſidium impetere, multi utrinq; cadebant, plurimi ſauciabantur, horriſonus clamor & ſtrepitus armorum ad cœlum ferebatur. Galli tormẽtis militiæ & cataphrattis militibus præſtabant. Heluetii ſuis ordinibus, et ualido peditatu magis pollebant. Deniq; parte alia in præſidium, & parte alia in ſubſidium gallorum acriter agebatur, & utrinq; galli cedere uiſi ſunt, ut ſola ſtaret media acies & robur exercitus, tueretur q; tormenta militiæ, quo & Rex ipſe ſubſidio uenerat, & inter primos fortiter agebat. Nãq; inibi belli uis maior incubuit, & multi prope Regem cadebant, quorum aliquando contritũ cerebrum in oculos Regis proſiluiſſe dicitur, & Rex ter haſta percuſſus eſt. Sed ſemper uulnus in thoracem deſiuit, ut ipſe uideretur rem ſuam collabantem ſuſtinere. Semper hortãdo et pollicẽdo omnia prædæ militibus fore. Sed utrinq; gallorum deterior fortuna uidebatur, quod cum uideret Ioannes Iacobus triultius qui cum præſidio & peditatu uaſconio aduerſus heluetios pugnabat, ſtatim decreuit equitatũ grauis armaturæ hoſtibus obiicere tanq; munimentũ

peditibus, & ſtatim iubet nunciari Regi tale conſi-lium, qui erat cum ſubſidio & peditibus germanis, quos uocant lancenech, ut parte alia acrius etiam ageretur. Heluetiorum autem ſubſidium hucuſq; ſte-terat, & deinde retrorſum diuertit inuadere Regē cum ſubſidio a lateribus, & forte uenerant per con-uallem in locum aſcendere, ubi pugnabatur. Et ecce Liuianus cum nobilibus & equitatu leuitum repente improuiſus affuit, & clamor ingens exortus eſt. Quo fit ut re inſperata, & quia heluetii putarunt Vene-torum omnem exercitū eſse, ſtatim conterriti com-pulſi ſint aufugere, atq; identidem cæteris heluetiis, qui cum gallis pugnabant, timor additus, & gallis audacia. Itaq; acceſſum & multū eſt, quando Liuia-nus cum quinquaginta nobilibus ſtatim ſubſidio ue-nit. Nāq; gallos a fuga effuſa & heluetios a feroci pu gna cōtinuit, redintegratūq; prælium eſt, & amplius cum primum cæteræ etiam uenetæ omnes copiæ ue-niſſent de heluetiis tanta ædita cædes eſt, ut uix eo-rum pars quarta ſupererit. Gallorū quoq; multi de-ſiderati ſunt, nepos Domini barbonii, filius Domini tremuliæ, & alii quatuor magni Duces, & quatuor millia hominum. Venetorum uero maxime deplorata mors eſt Clapini pitiglianii qui adoleſcens animoſus plusq; apta ætas eſſet fortiter in hoſtes agendo cele-bri morte perierat. Itaq; a gallis & Venetis de hel-uetiis parta eſt uictoria tantum celebris quantū le-gitur a Iulio Cæſare, capta heluetiorum cum pilat-

maiori cuncta uexilla, atq; omnia impedimenta, & tormenta militiæ, cæſaq; hoſtium decem millia, atq; amplius ſex millia hoſtiũ qui in nemore proximo au- fugerant, & qui Mediolanũ ibant, quia recepti non ſunt protinus in patriam fugerunt. Hiſpani autem & romani duo millia militum, mille leuites, & quinde- cim millia peditum, qui nuper Padum traiecerant, ut heluetiis ſociis ſe iungant, audita tanta clade ſtatim redierunt Placentiã, & protinus abierunt in pacatũ dum illis integrum eſſet. Secundũ eam pugnam me- diolanenſes quoq; ueniam & pacem implorarunt & impetrarũt etiam facile, atq; amplius authore Duce alobrogum cum heluetiis de concordia agebatur, & deinde duo de uiginti oratores mediolanenſiũ in ca- ſtra Regis uenerunt urbem tradere. Sed ſuper arce Mediolani & Cremonæ difficultas erat & uiribus agebatur, nãq; Magnus nothus alobrogum cum parte copiarum oppugnabat arcem Cremonæ, & Petrus nauarius cum decem millibus peditũ contra Medio- lani caſtellum acriter ſtabat, atq; agebat maxime tor mentis militiæ ſubterraneiſq; cuniculis. Et quia tan- dem Dux ſfortia uidet rem ſitam in magno diſcri- mine Cremonæ & Mediolani arcem deditione tra- didit, ut Cardinalis promoueretur, & uiginti millia nummum in gallia annuatim haberet. Poſtea Rex gallo- rum cum magna pompa in urbem Mediolanũ ingens triumphũ egit, & quia multum refert quarum par- tium Pontifex eſſet, res omnes cum ipſo compoſuit.

Itaq; omnis exercitus Regis hiſpaniæ et Pōtificis ſtatim abſcedit & Regi ceſſit Parma et Placentia, ſimul ac ipſe contentus fuit rerum Eccleſiæ patrociniū ſumere. Liuianus autem cum toto ueneto exercitu cōtra Brixiam ibat, et inſuper e gallis ad eam rem deſtinatus erat Magnus nothus alobrogū & Theodorus triultius cum ſeptingentis militibus, & ſeptem millibus germanorū peditum. Sed longa mora auxiliatorū gallorum rei gerēdæ magnum impedimentū attulit, quia dum differtur, mille pedites hoſtiū ſubſidio Brixiam uenerunt, & præfectus hiſpanus brixienſes ciues uenetæ factionis expulit, cum quibus antea familiariter de deditione Veneti loquebātur. Quare Liuianus deinde malebat Veronam oppugnare, quia ea conuehendis utilibus cōmodior & minus munita uideretur, atq; āplius capta Verona ſuper Brixia parua difficultas ſupererat. Sed tamen nihil fiebat, tum quia pōtificiæ & hiſpanæ copiæ Veronæ ſubſidio Padum ad Hoſtiliam præferebant traiicere, quibus obuiam ire ambo exercitus aliquando moliti ſunt, quouſq; hiſpani iterum Neapolim, & pontificii uerſus Bononiam inceptum iter aggreſſi ſunt, tum quia gallicæ copiæ quæ Venetis auxilio debebātur apud habendam Cremonam longas moras traxere, tum deniq; quia Liuianus apud Gaidum oppidū incidit in malam contuſi uentris ægritudinem, qua & tandē nonis Octobris immatura morte præuentus eſt. Et ea quidē fuit maxima gloria quod tunc periiſſet, quādo

poſſe:

poſſet optime uiuere, & tanto deſiderio omniũ tene-retur, ut diu in caſtris Cadauer etiam delatum ſit. Non tamen propterea deſiſtebatur bello, ſed Veneti milites ui ceperunt Piſcheriam cæſis trecẽtis hiſpa-nis peditibus, atq; habitis nunciis Regis gallorũ Aſu-la, Lonatum, & Sermeniũ deſciuerunt ad Venetos. Atq; amplius cum omnibus copiis contra Brixiam ibatur, quia Rex gallorum Mediolani & Cremonæ caſtella deditione obtinuerat, & Magnus nothus cũ gallicis auxiliis in caſtra ueneta feſtinabat. Sed Ioã-nes Iacobus triultius Imperator in caſtris Venetis anteuenit, & cum uentum eſſet prope Brixiam or-dines diſtributi ſunt, & primo quoq; tempore ceptũ eſt tormentis militiæ acriter in urbem agere. Con-tra nihil ſegnius hoſtes uiciſſim agebant, & identidẽ uexabant Venetos tormentis militiæ, ſæpe etiã eru-ptione facta uſq; ad ſtationes Venetorũ ibatur, & le-uia certamina fiebant. Atq; nuper amplius ſexcenti pedites hoſtium repente ſecerũt impetum in tormẽta militiæ, & quia temere ſtabatur, quãuis centum mi-lites, & ſex millia peditum eſſent, omnes re inſperata in fugam conuerſi ſunt præter Ioannẽ Paulum mam-phronum, qui cum triginta militibus uim hoſtiũ ali-quantum repreſſit. Illi tamen diſturbarunt omnia, combuſerunt puluerem igniferum, & aſportarunt in urbem decem tormenta militiæ cum tanta Veneto-rum ignominia, ut illi conſternarẽtur animi, & gal-lorum auxilia non profutura uiderentur, quãdoquidẽ

ſemper multum refert aduerſa initia rerum gerendarum habere, & ſupra omnes alios Ioannes Iacobus triultius ægre tulit, & deinde hortabatur paulisper recedere, quia tempus pluuioſum eſſet, & hyems inſtaret rebus agendis ſemper incongrua. Regis autem gallorum longe aliena mẽs erat, nãq; ille omnino uolebat reparare rempublicam, atq; ideo ſtatim iubet Dominum telagni uiſum ire, quæ uſui forent, ſimul ac & Magnus nothus cum ſexcentis gallis militibus, et ſeptem millibus peditum uenit in castra ueneta. Igitur cõſultabatur quid facto opus eſſet, & maxime ſtudebatur habendo puluerem igniferum inſtrumentaq; alia & tormenta militiæ, & cum iam omnia parata eſſent, iterum & acrius Brixiam obſederunt. Et quia germani pedites contra Cæſarem nolebant opera militiæ facere, illi tandem dimiſſi ſunt & ſubrogati uaſcones pedites ad quatuor millia hominum, deinde duobus ſimul locis cœptum eſt agere tormentis militiæ. Nãq; parte altera ſtabant galli quingenti milites, & quatuor millia peditum, atq; parte altera Veneti noningenti milites, mille quadringenti leuites, & nouem millia peditum. Iam uero acriter actum erat tormentis militiæ, & proiecerant muri quantum poterant. Nãq; alioquin hoſtes murum e terra congeſſerant, & duxerant altum aggerem, atq; ideo ulterius cuniculis agebatur. Et quidem galli ex altera, & ex altera Veneti continuis operibus uias ſubterraneas excauabãt, & ope

rabantur ſub tutiſſimis munimentis. Nãq; intereũdum ſemper terram fulcibãt ligneis peſſulis, & ibatur per foueam ad urbis mœnia, atq; amplius conabantur ſcalpris murum incidere, & frequenter ſuffodiebant parietem. Deinde ne pars illa procumberet ſupponebant lignea repagula, & procedebant ulterius, quouſq; totam urbem fulcirent ligneis peſſulis, & quia opus erat inſolitum atq; inexauſtum Ioannes Iacobus triultius & Petrus nauarius ſemper inſtabant, & primi erant inter talia opera. Petrus etiam nauarius nouum opus incepit ad portam pilarum, ubi cum mille quingentis peditibus caſtrametatus eſt. Sed hoſtes uetabant quantum poterant cuniculos contra ſuffodere, & diſturbare ignibus omnia quæcunq; fiebant. Atq; amplius multi hoſtium ex Verona conabantur Venetos ab oppugnatione diuertere, & nuper agmine facto ſexcenti equites, & quinq; millia peditum repente Venetos quadringentos milites, & totidem leuites aggreſſi ſunt, qui ſub duce Ioann. Paulo manfrono & Mercurio bua præſidio apud Vallegium erant. Sed quia temere ſtabatur pauci Venetorum uoluerunt uim hoſtium expectare, & retrorſum ibant, quod cum uidiſſet Iulius manfronus non potuit pati tantam ignominiam, & cum paucis auſus eſt in hoſtes confertiſſimos impetum facere. Sed parum ceſſit ex ſententia, quia tandem equus eius uulneribus confoſſus eſt, & cum ipſe pedes diu pugnaſſet, deniq; multitudine hoſtium

uictus eſt, & in poteſtatem illorum uenit. Atq; amplius ex germania parabatur maioribus copiis Brixiæ propediem ſuppetere. Igitur propterea galli & Veneti ducti ſunt conuenire cum hoſtibus authore Domino bonæ uallis quibus uellent conditionibus, dummodo illi poſt uiginti dies urbem tradere paterentur. Nãq; ſic honeſtius uiſi ſunt deferre ad Gaidum maiora tormenta militiæ, & pauliſper recedere, quia alioquin timebant, ſi qua uis ingruat ex germania. Et quidem eius rei authores erant ciues Gambarenſes, dum uolunt ea uia Venetos ab oppugnatione detinere & fruſtrari, ſicut & factum eſt, quia dum ſtatur tantum abfuit Brixiam tradere, ut potius germani hoſtes ad ſex millia peditum uenerint Amphum caſtellum ſtatim capere. Neq; ſpes eos fefellit, quia oppidani poſtquam uident rem ſitam eſſe in magno diſcrimine, maluerunt deditionem facere & impunitati conſulere, ſicut & tria millia peditum qui debebant ſubſidio feſtinare, ne auſi quidem ſunt uenientem hoſtem conſpicere. Et amplius tantus timor in caſtris inceſſit, ut protinus obſidione ſoluta receſſum ſit, atq; ad Gaidum hyematum ibatur, ſimul ac hoſtes in Brixiam commeatum & ſubſidium portaſſent. Dum ea in caſtris agerentur Mediolanum uenerunt ad Regem gallorum oratores ueneti Antonius grimanus, Dominicus triuiſanus, Georgius cornelius, & Andreas grittus omnes procuratores & uiri primarii. Et cum poſtera die im-

greſſi eßent ad Regē cū magna pōpa Dominicus triuiſanus eiuſmodi oratione uſus eſt. IVRE QVIDEM REX inuictiſſime ea habentur amicorum maxima officia, quæ in rebus lætis uiciſſim gratulando fieri ſolent. Nāq; ex eo maxime patet amicitia mutua, quando eiſdem ſimiliter afficimur. Atq; nobis tanto magis lætandum eſt ob partam uictoriā quanto magis coniunctiſſimi ſumus & nihil ſupereſt, niſi inuicem ſemper officiis certare. Et profecto ſimul ac uidimus te cum florentiſſimo exercitu in Italiam feſtinare, belli diuturni omnia aſpera & dura æquo animo paſſi ſumus, quia iſtam diem maxime ſperabamus, ut tu communes hoſtes uinceres, & reparares collabantem noſtram rempublicam. Veniſti & uiciſti tuis auſpiciis tantum hoſtes heluetios, quātum a Iulio Cæſare non legitur. Nāq; cum illi pro uirili acriter agerent, tibi etiam maior uictoria parata eſt. Et cum primum quæ ipſe geſſeras in ſenatu relata ſunt, omnes lætabantur & magnificabant tua geſta ſemper memoranda quantum erga te noſter amor expoſtulas. Et ſtatim Patres nos elegerunt ut ueniremus cum omnibus ſignis lætitiæ, & apud te iſto officio omnibus uiribus animi fungeremur. Nos uero lætamur non quantum uolumus, ſed quantum poßumus, quia alioquin uerba inuenire non ualemus, quæ noſtros affectus poßent exprimere. Illud ſatis conſtat eueniſſe quod maxime ſperabamus. Nāq; parta uictoria cum Mediolanum receperis tibi &

noſtræ reipublicæ fauſtum fœlixq́ fore proculdu-
bio putamus. Et nos quidem totius reipublicæ maxi-
mam lætitiam prætulimus, quia oratores uenimus
iam confecti ſenio & functi omnibus magiſtratibus.
Ergo lætamur & gratulamur iterum iterumq́ omni
affectu animi, & præcamur te proſequi partam ui-
ctoriam, & reparare noſtram rempublicā. Ne alio-
quin ſpes ea nos fallat, quam in te ſolo iampridem
repoſuimus. Poſtq́ Dominicus triuiſanus ea dixit, per
Magnum Scribā paucis reſponſum eſt. Regem liben-
ter uidiſſe & amice oratores complecti qui uenerāt
& merito lætarentur, quia etiam res ſua ageretur,
ſicut & actum erat auxiliaribus copiis reipublicæ,
quæ cum multum pro rege paſſa eſſet, ipſe quoq; ui-
ciſſim conaretur beneficiis penſare, ut cito omnibus
daretur intelligi, Regem agere ea omnia, quæ plena
officii eſſent erga rempublicam. Poſtea cum helue-
tii ad Concordiam declinare uiderentur, Rex para-
bat conuenire Pontificem apud Bononiam, atq; eam
rem maxime Laurentius medices apud Regem age-
bat, & Boniuetus gallus orator apud Pontificem. Et
quāuis galli Duces putabant periculoſum fore ſe Pō-
tifici credere. Rex tamen iter facere aggreſſus eſt
cū noſtris etiā oratoribus, atq; eū uenientē apud urbē
Regiū duo Cardinales Fliſcus et Medices ſuſceperūt,
& comitati ſunt uſq; Bononiā, ubi tandē præſtita obe
dientia Rex cū Pontifice de pace & bello uiciſſim lo-
cutus eſt. Et quia multū intererat ceperunt agere de

pace omnium & de induciis, atq; ad eam rem ſta-
tim iubent fratrem Egidium eremitam in germa-
niam ire et uidere, ſi poßet Venetos conciliare cum
Rege romanorum, & habere Veronam & Brixiam
cum pecuniis. Nãq; Pontifex alioquin inuenit Regem
ſecundum cor ſuum, donauit Cruce gemmata, coram
ipſo rem diuinam fecit, & in gratiam Regis fratrem
Magni magiſtri Cardinalem inſtituit, ſimul ac Rex
etiam ceſſit ſanctioni pragmaticæ. Deinde cum ſi-
mul ſtetiſſent per quatriduum, Pontifex peractis re-
bus omnibus uerſus Florentiam & Romam abiit, &
Rex identidem cum uiginti quinq; millibus equitum
quibus Bononiam uenerat, iterum Mediolanum re-
uerſus eſt. Et quia uidet rem uenetam contra Brixiã
egere maiori ſubſidio præſertim illud conſultabatur
quod Dominus Satiglionius retulerat, cum nuper e
caſtris Venetis ueniſſet. Nãq; ille aiebat exercitum
receſſiſſe ad ſtationes propter tempus hyemis, quia
ſimul ac cuſtodes temere ſaltus montium deſerue-
rant, uidebatur e republica fore, prope urbem ad ſta-
tiones ſtare, ſaltus montium recipere, commeatum
ſubſidiumq; uetare. Sed cum Rex potius uellet exer-
citum contra Brixiam redire, ſtatim iubet Domi-
num Lutrech & Andream Grittum ire & uidere,
ſi oportet ſupplementum exercitui mittere, qui cum
rediſſent & retuliſſent quid facere opus eßet, da-
tum negocium eſt Domino Barbonio, quem Rex uo-
luit ſuum locum in Italia tenere, & ipſe magnis iti-

neribus in galliam abiit, quia oportebat heluetios, Ducem burgundiæ, & Regem angliæ ſedare. Igitur apud Dominos gallorum poſita in conſultatione res eſt, & tandem putarunt operæprecium eſſe Dominum Lutrech & Theodorum triultium Gubernatorem in caſtra ueneta uenire, & contra Brixiam in expeditionem redire. Nanq; alioquin paſſim ad ſaltus ſtabatur, & Mercurius una cum leuitibus uſq; urbem frequenter ire, pabulatores intercipere, commeatum uetare, & omnia infeſta reddere. Atq; amplius nuper cum offendiſſet prope Brixiam pedites equiteſq;, qui pabulatum uenerant, ſtatim in illos impetum fecit, & hoſtes facile uincebantur. Sed ex urbe ſubſidium uenit, & redintegratum prælium eſt, atq; pugna fuit multum aſpera, quia paribus animis & uiribus agebatur. Sed poſtq̃ frater Gubernatoris Brixiæ cum duodecim militibus in Venetorum poteſtatem uenit, omnes alii uſq; in urbem fuſi fugatiq; ſunt, atq; eo maxime hoſtes conſternati animi erant, quia duo ſtrenui Duces peditum perierant, & præfectus militum captus eſt. Nihilominus parum hoſtibus ceſſit ex ſententia cum uellent pecunias in Brixiam portare. Nãq; Ioannes fregoſius cum Ioanne corado urſino & parte copiarum repente ad Amphum caſtellum illos aggreſſus eſt, & ad mille hoſtium aut cæſi aut capti ſunt. Atq; amplius hoſtes e Verona qui uenerant Venetos diuertere, uix potuerunt in urbem impune recedere, quia apud Pi

ſcheriam Venetorum & gallorum ingens præſidium erat, & contra hoſtes acriter ibatur. Itaq; utrinq; hoſtes repulſi ſunt, & uetitum eſt pecunias in Brixiam portare. Non tamen pecuniæ in manus Venetorum uenere, quia hoſtes illas per lacum aſportarunt in germaniam cum multis tamen lachrymis, quia multi Duces lotronienſes Domini, & magni uiri Germaniæ in illo nocturno certamine cæſi ſunt. Poſtea Ioannes Iacobus triultius Mediolanum abiit, & uenit Dominus Lutrech cum trecentis militibus, & tribus millibus peditum, necnon Theodorus triultius gubernator in caſtra ueneta, et Andreas grittus legatus Dominico contareno ſuffectus eſt, & uiciſſim agebatur de expeditione Brixiæ, quam iterum parabant ſuſcipere. Nãq; alioquin ſtabant in Valle ſabia quingenti ſupra duo millia peditum, & curabant Amphum caſtellum reficere, quia alia loca non ita patent magnis exercitibus & tormentis militiæ, atq; amplius penetrarunt agros uaſtare, prædas agere, caſtellumq; Lotronium & Aſtorium comburere. Pari modo partibus aliis frequenter leuia certamina fiebant, nãq; leuites ubiq; infeſti erant omnibus, qui pabulatum ibant. Et nuper cum inter pedites certamen eſſet, Petrus nauarius ſtatim ſubſidio uenit, & hoſtes intra urbem repulſi ſunt. Deniq; galli omnes & Veneti feſtinare, parare, facere omnia utilia, ut primo quoq; tempore contra Brixiam iterum in expeditionem iretur. Interea uero Regi angliæ

relatum eſt, Regem gallorum uiciſſe heluetios quod nunquam antea putarat. Et quia æquo animo ferre non poterat, ſemper egit cum Rege romanorum & heluetiis, donec illi pecuniis uicti ſunt, & ſtatim tranſmiſſit centum uiginti millia numum, ut darentur heluetiis, qui cum rege romanorum aduerſus Regem gallorum in expeditionē exirent. Nāq; heluetii declinabant ad Anglos quamuis octo anguli eorum conueniſſent cum Rege gallorum, & accepiſſent ſcutorum numum ducenta millia. Putabant enim magis rem ſuam agere, ſi poſſent ut ſolebant Mediolanum abrodere, quia alioquin fœdus inter Reges germaniæ hiſpaniæ & angliæ proclamatum eſt, & Rex hiſpaniæ magnam claſſem parabat, & contra gallos Venetoſq; Regi romanorum ſubminiſtrabat pecunias, ut uideretur propediem magnū malum gallis & Venetis imminere ex Rege hiſpaniæ, qui etiā conuenerat cum Duce Burgundiæ tantum hiſpanias gubernare, quantum uiueret. Et quidem tantillum fuit, quia ille paulopoſt morte præuentus eſt, ut de componenda hiſpania potius ageretur. Aliter rumor cepit increbreſcere Regem romanorū uenire in Italiam cum uiginti millibus hominum, & Viceregem hiſpaniæ cum ualido exercitu equitum & peditum. Igitur galli & Veneti feſtinare, parare, facere omnia quæ uſui ſunt, paſſim pedites adſcribere, & ſupplementum exercitui mittere. Deniq; in conſultatione iterum iterumq; poſita res eſt, quid agendum

eſſet, ſi germani prorumperent in Italiam, & decretum eſt ſtare ad Pontemuicum, & Dominum Barbonium cum altero exercitu Cremonam uenire. Veneti uero maxime intenti erant Amphum caſtellum munire, & locare duo millia peditum ad ſaltus in Vallem ſabiam, & mille pedites ad anguſtias Bagolini in Vallem trumpiam, ut alioquin omnis exercitus contra hoſtes ſtaret, ſi per Veronam aliqua uis ex germania ingrueret. Atq; amplius Rex gallorum uoluit partitis cum Venetis ſtipendiis octo millia heluetiorum contra heluetios adcerſere. Iam uero Rex romanorum Tridentum uenerat cum uiginti millibus hominum ex inferiori & ſuperiori germania, & acies peditum uiciſſim Veronam ibant. Sed quia temere nimium ibatur ex altera ripa galli quingenti milites & Ioannes uictorius cum Mercurio bua, & equitatu leuitum, contra hoſtes occaſionem quærebant, & tentabant traiicere ad Guſſolengum, ad Pontonum, & ad Scluſam. Sed ubiq; contra acriter ſtabatur, & agebatur miſſilibus telis & tormentis militiæ. Quod cum uidiſſent galli & Veneti diſſimularunt pauliſper recedere, & cum hoſtes abiiſſent ex ſtationibus ad Scluſam ubi uadari poterat, ſtatim Veneti leuites per illam uiam heluetios aggreſſi ſunt. Et quia ſine ordine & ſine imperio ibatur, heluetii centum & ſexaginta aut cæſi aut capti ſunt, & reliqui uix potuerunt per montes euadere. Poſtquam uero Rex romanorum Veronam

uenit, inde cum quinq; millibus equitum, & quindecim millibus peditum ex ſuperiori & inferiori germania ſub imperio & ſub ordinibus militiæ in expeditionem ibatur. Veneti autem bene muniuerant Patauium & Vincentiam & collegerant ad quatuor millia hominum, atq; identidem parte alia omnem exercitum habebant ſimul cum gallis ad Piſcheriam ubi hortabantur ſtare ultra Mintium & nuſquam recedere. Nãq; Venetorum & gallorum omnis exercitus conſtabat tribus millibus militum, & uiginti millibus peditum. Et tamen gallos tantus timor inceſſerat, ut ne auderent quidem hoſtem conſpicere. Igitur cum hoſtes procederent, ultra Mintium & amnem Oleum receſſum eſt, atq; omnis exercitus Cremonam uenit, ubi cum in conſultatione ſita res eſſet, decreuerunt ad flumen Abduam ſub munimẽtis ſtare. Nanq; alioquin uis hoſtium repreſſa eſt apud caſtellum Aſulam, ubi præſidio manſerant centum milites, & quadringenti pedites ſub ducibus Antonio martinenzo, Petro longeno, & Georgio uaila. Hoſtes enim uolebant oppidum capere, egeruntq; uiribus & tormentis militiæ. Sed quia a Franciſco contareno præſide cum oppidanis & militibus acriter hoſtibus obuiam ibatur, illi tandem fruſtrati ſunt & receſſerunt cum ignominia. Non tamen propterea galli & Veneti potuerunt loco perſiſtere, quia cum primum hoſtes traieciſſent amnem Oleum, illi reliquerunt Cremonæ præſidium trecentorum mi-

litum, & trium millium peditum, atq; ſtatim per uiginti ſex millia paſsuum receſserunt ad amnem Abduam, ne hoſtes locum antecaperent. Et amplius cum hoſtes poſtridie ueniſsent ad ripas Abduæ, gallorum & Venetorum omnis exercitus Mediolanum uenit. Adeo Dominus Barbonius et Duces galli ſummopere uerebantur, ne alioquin res ſuæ aliquod detrimentum paterentur, & moliebantur etiam in galliam aufugere, niſi Andreas Grittus & Andreas triuiſanus dehortati eſſent. Igitur Mediolani ſtabatur, & deinde feſtinare, parare, facere omnia utilia, ordines diſtribuere, excubias locare, ad ſex portas urbis præponere Dominum Barbonium, Ioannem Iacobum triultium, Dominum Lutrech, Dominum Palliſæ, Theodorum triultium, & Magnum Scut ferum, tres alias occludere, ſuburbia relinquere, & ſolam urbem cuſtodire munire undiq; altis aggeribus, & paſſim ponere tormenta militiæ. Poſtremo conſultabatur quid agendum eſſet, quia multi etiam uolebant diſcedere, niſi opportune diceretur heluetios poſtridie uenire, & propterea cõtra hoſtes acriter ſtabatur cum peditibus omnibus & octingentis militibus. Nam cæteri milites ſtabant per uicina oppida & leuites ad Aſulam, ut hinc inde in hoſtes frequẽter iretur commeatum uetare, ordines diſturbare, & ubiq; laceſſere. Iam uero hoſtes uenerant ad Domum albam prope Mediolanum ad ſeptem millia paſſuum, & quantum poterant conati ſunt fe-

ditionem mouere. Et quia ſemper agebatur leuibus certaminibus, hoſtes nuper uenerũt uſq; urbem uerſus portam Rentiam ad mille paßuum, quod cum galli & Veneti uidiſſent, ſtatim combuſerunt urbis ſuburbia, & hoſtes paululum receßerunt, uidebanturq́ urbem Papiam aut Cremam poße capere, niſi trecenti milites, & quatuor millia peditum ſtatim ſubſidio Papiam ueniſſent, & Cremam octingenti pedites, & ducenti milites. Nãq́ galli reparauerant animos, ſimul ac heluetii ad octo millia hominum ueniſſent, & parabant hoſtibus obuiam exire. Sed heluetii nolebant confligere cum heluetiis, & contenti erant apud Mediolanum ſtare, atq́ inibi omnia opera militiæ facere. Rex autem romanorum cum ſoluendo non eſſet, ſtatim declinauit cum toto exercitu ad flumen Abduam, & retrorſum paulatim ibatur, ſimul ac non potuit urbem conſpiratione recipere, unde pecunias ſperabat. Et deinde aiebat ego recedo & reuertar cito, uos ſtate & cauete a pileatis equitibus, qui ſicut deus, ubiq́ ſunt, & cum hæc dixißet ſubterfugit impetus heluetiorum. Nãq; in caſtris alioquin ſeditio orta erat, atq́ heluetii ſtipendia emerita uolebant, & parabant ad gallos deſciſcere, dum hinc inde cum heluetiis ageretur. Illi tamen heluetii ad quindecim millia hominum qui cum Rege romanorum merebant perrexerunt urbem Laudam capere & diripere, atq; amplius uolebant alibi identidem facere, quod cum gallis &

Venetis relatum eſſet, ipſi omnino uolebant in expeditionem exire & ſolicitabant heluetios, qui & tandem ducti ſunt dare litreras heluetiis, ut illi recederent, qui contra mentem dominorum uenerant. Aliter aiebant propediem fore, ut cum gallis contra ipſos etiam cum ſuæ gentis damno & ignominia bello acriter ageretur. Sed quia in incerto res erat galli uolebant bene munire præſidio peditum Mediolanum Papiam Cremonamq;, & cum omni equitatu abeuntem hoſtem ſemper ſequi, & commeatum uetare. Sicut etiam frequenter fiebat, atq; agebatur leuibus certaminibus. Et nuper Mercurius bua cum equitatu leuitum fudit fugauitq; ſexaginta equites hoſtium, qui paululum abſceſſerant, & cum aliqui fugiſſent in turrim Eccleſiæ proximæ, & nollent ſe dedere, igne ſtatim ſuppoſito Orator Ducis Vrbini cum duobus Eccleſiæ fratribus combuſtus eſt, & Cæſar feramuſca, duoq; papienſes per funes uenire in manus hoſtium paſſi ſunt. Pari modo parte alia ultra flumen Abduam fœliciter geſta res eſt, nāq; ex Crema Baldaſar ſignorellus cum parte copiarum impetum fecit in trecentos equites hoſtium, & paruo diſcrimine ſeptuaginta eorum interfecit, & cepit quadraginta cum diuite ſupellectili, atq; identidem a Venetis leuitibus frequenter alibi fiebat. Nanq; ubiq; infeſti erant prædas agere, commeatum uetare, pabulatores intercipere, ordines diſturbare, & nuſquam ocium pati. Sed apud Mediolanum cum

beluetiis difficultas orta eſt, quia ſimul ac abunde acceperunt pecunias, multi repedarunt in patriam, & reliqui nolebant in expeditionem exire. Atq; ideo ualde dubitabatur, quamuis expectarentur ex gallia duo millia militum, & uiginti millia peditum, ne Rex romanorum iterum in expeditionem exiret, quia iuiſſet Bergomum expilare. Sed tantum abſuit, ut potius Rex romanorum abierit in germaniam cum ſexdecim millibus numum, & cum quinq; millibus hominum, ſimul ac in eius exercitu diſſidium uenit, & pedites germani ceperunt ad gallos deſciſcere. Igitur omnis exercitus diſoluebatur, & beluetii ex Lauda abibant in patriam, alii turmatim in urbes ibant, alii in germaniam, & ab omnibus non impune receſſum eſt. Nãq; galli & Veneti ea occaſione uſi ſunt, dum partitæ hoſtium uires eſſent, ubiq; infeſti erant inuadere, occidere, intercipere, & de multis magna cædes ædebatur, quouſq; omnes conuenerunt iterum ad Romanum prope Bergomum. Nãq; illuc uenit Marchio Brandiburgenſis cum pecuniis, & compoſitis rebus ex ſententia parabatur iterum in expeditionem redire, quamuis poſtea omnis exercitus hoſtium potius ad ſtationes Bergomum uenit, quia pecuniæ ad ſtipendia non ſuffecerant, & expectabantur ex germania. Sed dum nimium ſtatur, germani & hiſpani pedites Brixiæ ad tria millia hominum deſciuerunt ad gallos & Venetos, atq; amplius cum Cardinalis Sedunẽſis Bergomum ueniſſet,

& non

& non eſſet omnibus ſoluendo, octo millia heluetiorum per uallem Brembanam & Tollinam abierunt in patriam, & alii omnes male contenti numo ſingulo Brixiam ibant ſubſidium & pecunias expectare. Sed non impune ibatur, quia galli & Veneti grauis et leuis armaturæ ad duo millia equitum ſemper ueſtigia hoſtium ſequebantur commeatum uetare, ordines diſturbare, atq; intercipere, qui palantes ibant, ſemper uexare, & nunquam manum conſerere. Nãq; alioquin hoſtes nuper ad Montem clarum parabant cõfligere, & diſtributis ordinibus ſteterunt obuiam uenientibus, & tamen inter leuites ſolummodo certamen fuit, quia galli & Veneti paulisper receſſerant, tantiſperdum tormentis militiæ acriter ageretur. Itaq; hoſtes ſemper paulatim recedebant agendo leuibus certaminibus, & hortando Cæſarem ut ſaltem uinci non pateretur, ſi non poſſet uincere & ſoluendo non eſſet. Galli uero & Veneti non deſiſtebant ubiq; hoſtibus moleſtos eſſe, commeatum uetare, paſſim itinera intercidere, ut demum hoſtes compulſi ſint magnis itineribus Piſcheriam uenire, & cogitare de abitione in germaniam præ inopia commeatuum. Et tandem germani pedites cum equitibus & Marcoantonio columna Veronam iterum ingreſſi ſunt, & omnes heluetii per montes proximos abierunt in germaniam. Quod ſi ut par erat gallorum & Venetorum omnis exercitus ſtatim contra abeuntes hoſtes mouiſſet, proculdubio

non amplius de ciuitatibus ageretur. Sed galli uoluerunt noua mandata Regis expectare, & Venetos uiciſſim ſoluere ſtipendia ſex millium ſuorum peditum, & deinde feſtinare, parare, facere cuncta utilia. Denicꝙ cum omnibus copiis ſub auſpiciis Domini Lutrech contra Brixiam ibatur, quia putabant e republica fore, potius ꝙ Veronam illam urbem oppugnare, ubi non eſſent niſi quingenti hiſpani pedites ſubſidio. Atq; ideo Veneti qui anteuenerant pugna manuaria media nocte auſi ſunt urbem repente inuadere, ſcalas admouere, murum aſcendere. Contra hoſtes modo ſtare, modo obuiam ire, & non niſi moriendo locum deſerere, multi utrinq; peribant, plures ſauciabantur, denicꝙ quia ſcalæ eßent breuiores ꝙ poßent ſufficere, & contra acriter ageretur, Veneti non potuerunt in urbem uadere. Poſtea uero Dominus Lutrech cum omnibus copiis cõtra Brixiam uenit uiciſſimq; ad ſaltus poſitæ cuſtodiæ, & ordines diſtributi ſunt, ut ſimul quatuor partibus acriter ageretur tormentis militiæ, ne pauci hoſtium qui intus erant ubicꝙ poßent ſuppetere. Igitur hoſtes deſperatione ducti ceperunt potius agere de cõcordia, & tandem conuentum eſt urbem & caſtellum tradere, niſi poſtridie ſubſidium ueniſſet. Nãcꝙ alioquin germani & hiſpani hoſtes ad ſeptem millia hominum nocte intempeſta per uiam Amphi id facere conabantur. Sed tantum affuit, ut illi uetiti ſint, quia paſſim ad ſaltus omnes acriter ſtabatur. Quod cum ur

bis cuſtodes uidiſſent, contenti fuerunt urbem & caſtellum ſtatim dare, & abire impune cum diuite ſupellectili. Sicut & factum eſt, atq; hoſtes omnes ſexcenti pedites, & quadringenti equites cum quinquaginta quinq; curribus onuſtis rerum omnium protinus abierunt per Tridentum in germaniam, & Dominus Lutrech cum Andrea gritto & ualido præſidio cunctis applaudētibus urbem Brixiam ingreſſus eſt. Deinde ſtudebatur pecunias exigere a Brixienſibus quindecim millia, & a Bergomēſibus quadraginta quatuor millia. Nāq; galli petebant triginta quinq; millia, antequam contra Veronam in expeditionem exirent. Sed poſtea cum ueniſſent litteræ Regis in eam ſententiam, ut primo quoq; tempore in eam expeditionem iretur, Dominus Lutrech cum omnibus copiis contra Veronam ibat, & uſq; Piſcheriam uenit. Deinde amnem Mintium ponte iungere & traiicere, agros uaſtare, & prædas agere. Poſtremo parabant identidem amnem Atheſim ad Guſſolengum traiicere, & Veronam propediem obſidere, ubi ad nouem millia hominum erant. Sed poſtea rumor cepit increbreſcere Regem angliæ in gallos iterum mouiſſe heluetios, & cum dicerentur aduentare, galli uolebant omnino diſcedere, & quamuis Veneti ægre ferrent, tandem ad Piſcheriam receſſum eſt, diſtributiq; ordines ſunt citra & ultra Mintium, quaſi ad ſtationes ſtaretur, & pons erat ad uillam Monzambaniam meandi & commeandi ut

uſui foret, ſimul ac ſemper cum hoſtibus ageretur meſsem aſportare, commeatum uetare, leuites ubiq; eſſe & inuadere, uſq; ad urbem frequenter ire, & nuſquam ocium pati. Nãq; alioquin ferebatur heluetios ad quinq; millia hominum ſubſidio Veronam uenire, & alios ad quindecim millia hominum uelle in agrum mediolanenſem irrumpere. Atq; amplius Proſperus columna nuper manumiſsus e gallia cum Cardinali Bibiena & Mutio columna Mutinam uenit, & uidebatur in gallos res nouas moliri, factioſos mouere, feſtinare, parare, facere omnia utilia, ut primo quoq; tempore uenientibus heluetiis ſubſidio foret. Laurẽtius quoq; medices per idem tempus cum exercitu Pontificis Duce expulſo Vrbinum & Piſaurum cepit, & Ioannes Franciſcus cum altero exercitu contra urbem Mirandulam ibat. Quod cum uidiſset Dominus Lutrech ueritus ne peius etiam fieret, ſtatim iubet Petrum nauarium cum ducẽtis militibus, & duobus millibus peditum in eam expeditionem exire. Et quidem paruo momento hoſtes ad Mirandulam fuſi fugatiq; ſunt, & ultra Padum pacata omnia. Nãq; parte alia apud Veronam germani pecunias non habebant & ſoluendo non erant militibus, atq; iccirco ex heluetiis ſubſidium non uenit, & in urbe diſſidere ceptum eſt, atq; hiſpani & germani ad duo millia hominum deſciuerunt ad Venetos, & gratanter in caſtra excepti ſunt, quia identidem conditionibus habituri Veronam uidebantur,

ſicut Brixia potiti ſunt, ſimul ac ad Venetos germani pedites deſciuerant. Aliter parte alia ſubſidium uenit e germania ad duo millia hominum, & hoſtes frequenter ibant uerſus Vincentiam & Patauium agros uaſtare & prædas agere, quia cōtra non multis copiis ſtabatur, & Veneti impares erant quingenti milites, ſexcenti leuites, & quatuor millia peditum, niſi leuioribus certaminibus ageretur. Nãq; alioquin hoſtes impune apud Suauium ſtabant, & in urbem Veronam portabant omnem meſſem & magnam copiam commeatuum. Poſtremo magnis itineribus uenerunt uſq; Vincentiam diripere, atq; inde Veronam impune cum magna præda regreſſi ſunt. Et tamen Dominus Lutrech nolebat cum exercitu ad Atheſim procedere, & uetare quæ fiebant prædationes & uaſtationes agrorum. Nanq; cauſabatur non eſſe ſoluendo ſuos milites, et uelle a Venetis tertia ſtipendia pro ſex millibus germanorum peditum, atq; amplius in promptu pecunias eſſe propter illos, qui Veronam exibant & ueniebant merere ueneta ſtipendia. Itaq; per menſem apud Piſcheriam ſtabatur, donec pecuniæ uenerũt e gallia & ex Venetiis, & deinde parabatur iterum contra Veronam in expeditionem exire, atq; eo maxime in ſpem urbis potiundæ ducti ſunt, quia Veronæ tumultuatum erat, & populares grauati nouis contributionibus, & milites opum uacui ad deditionem ſpectabant, multiq; pedites continue diſcedebant & ueniebant in caſtra

ueneta, ut opes non ſufficerent ad tot & tanta, quæ exigebantur antequam caſtra uſpiam mouerentur. Nāq; Dominus Lutrech uolebat omnia utilia in prōptu habere antequam in expeditionem iretur. Igitur tandem pecuniæ delatæ ſunt, atq; inſtrumenta & tormenta militiæ, quæ poſſent operi ſufficere, & deinde cum omnibus copiis ad uillam Buſſolengū iuatur. Et quidem galli ſteterunt citra Atheſim, & Veneti traiecerunt ultra Atheſim, & Scluſa caſtello deditione potiti ſunt, ut tutius in ualle Polliſella ſtaretur commeatum uetare, & ſemper hoſtem uexare, atq; identidem omnia agreſtium prædati ſunt. Et nuper amplius Mercurius bua cum equitatu leuitum uſq; Veronam uenit, & cum offendiſſet aciem peditum quæ foris erat, de illis magnam cædem ædidit, & pauci integri potuerunt in urbem euadere. Sed poſtea cum omnis exercitus cōtra Veronam iret citra & ultra Atheſim, quia germani pedites non feſtinabant contra Cæſarem, tantus repente timor inceſſit, ut nocte ſequenti ſub ordinibus militiæ cum magna trepidatione ſtaretur. Et deinde putarunt magis e republica fore præſidium in ualle Polliſellæ relinquere ſexcentos leuites, & ducentos milites, ſimulq; iunctis copiis citra Atheſim contra Veronam ire ad portam Sutoriam & tormentis militiæ acriter agere. Sed dum ea res agitur ignis repente intereundum e puluere ignifero proſiliit et octingenta uaſa pulueris combuſit ſimul cum bubulcis curribus,

munimentis inſtrumentiſq; militiæ. Et quidem ea res ſuſpitione non caruit quod ignis dolo malo ad tempus fuiſſet ſuppoſitus. Sed re uera per planiciem Veronæ Bubulci nimium feſtinabant, & quiſq; uolebat præcedere, unde ex colliſione rotarum inuicem incendium uenit. Interea uero apud Noionum urbem idibus Auguſti ſancita eſt pax perpetua inter Regem gallorum & nouum Regem hiſpaniæ amici amicorum & inimici inimicorum, præſertim ꝑ Cæſaris & Regis angliæ, niſi coeant in amicitiam. Atq; amplius Rex gallorum Regi hiſpaniæ promiſit filiam Aloyſiam cum regno Neapolis, & uiciſſim Rex hiſpaniæ promiſit dare Regi gallorum quotannis centum millia numum antequam uxorem duceret, & cum duxiſſet quinquaginta millia, quouſq; filius hæres naſceretur. Et amplius olim Reginæ Catherinæ regnum Vaſconiæ reddere, & ſe componere cum Duce geldriæ qui cum bellum aſperum in friſia gerebatur. De Verona quoq; & Venetis actum eſt, ut ſi galli & Veneti per duos menſes eam urbem non caperet, Rex romanorum ultro daret, & acciperet a Rege gallorum centum millia numum, & a Venetis alia centum millia. Igitur Veneti uolebant urbem antecapere, atq; ideo primo quoq; tempore feſtinare, parare, facere omnia quæ in rem ſunt, magnam copiam pulueris igniferi paſſim colligere, munimentaq; alia & inſtrumenta militiæ. Deniq; reparatis omnibus ex ſententia citra & ultra Atheſim contra Ve-

ronam iterũ ibatur tormentis militiæ acriter agere ad portam ſutorum & ad portam Epiſcopi, ut diuiderentur qui intus erant ad quinq; millia hominum. Sed poſtea nimium differebant locare tormenta militiæ, & in ſingulis difficultas erat. Nãq; cum de locandis tormentis ageretur, uidebantur pedites non ſufficere, & oportere ad quatuor millia peditum ſupplementum mittere. Et tandem Patres contenti fuerunt impenſæ non parcere, quamuis illud etiam dolo malo fieri uideretur. Contra hoſtes oppidani pariter & omnes milites in officio eſſe, urbem munire, feſtinare, parare, facere omnia utilia, ut omnino nihil uereri uiderentur. Et quia multum intererat puluerem Venetorum iterum comburere, ad eam rem unus & alter romanorum hoſtium clanculum in caſtra uenit id facere. Sed tantum abfuit, ut illi deprebenſi uiui igne abſumpti ſint. Poſteaquam uero uenerunt in caſtra ueneta duo millia peditum ex Vincentia, & cum Federico bozulenſi alia totidem atq; amplius uaſtatores munimenta inſtrumentaq; militiæ, Veneti ultra Atheſim ad portam Epiſcopi, & galli citra Atheſim ad portam ſutorum caſtrametati ſunt, & deinde ceptum eſt acrius agere tormentis militiæ. Sed inter agendum quia galli ignem temere portabant, ille irrepſit in ſaculis pulueris, & ſuper parata ſimul omnia tormenta militiæ. Vnde cum maximo fragore multi uaſtatores qui circumſederant combuſti ſunt, aut contriti manibus aut pe

dibus, & Dominus Lutrech cum aliis gallis Domi-nis uix ſemiuſti potuerunt euadere. Non tamen propterea paſſi ſunt hoſtes impune præſeferre lætitiam, quia deinde multo etiam frequentius agebatur, & paſſim mœnia proſternebantur. Nāq; & ad portam Epiſcopi & ad portam Sutoriam muri paſſim procubuerant, & aperti aditus erant, & tamen contra hoſtes acriter ſtabant, & muniebant urbem lata foſſa, & altis aggeribus, dum ſemper ſperant ſubſidium ex germania uenire. Atq; amplius contra gallos & Venetos quantum poterant agebant miſſilibus telis & tormentis militiæ, & ſæpe leuia certamina fiebant. Non tamē hoſtes multum poterant nocere, quia galli & Veneti ſub cratibus & munimentis miniſtrabant, & agebant tormentis militiæ. Atq; amplius nuper germani pedites repente uenerunt ad portam Sutorum, & per ruinas muri tentabant in urbem uadere. Sed tantum abſuit, ut multi artificioſis ignibus contriti ſint, & ſtatim a reliquis in caſtra receſſum eſt. Poſtea ſtabatur & conſultabatur urbem oppugnare, & quia ex parte gallorum nondum muri ſatis prociderant, uiſum eſt e republica fore, ea parte in procinctu ſtare, & parte Venetorum cum quinq; etiam millibus gallorum peditum ſummo mane ciuitatem inuadere. Sed antequam fieret, nuncius Regis hiſpaniæ & germaniæ in caſtra uenit, & Dominum Lutrech allocutus eſt, atq; amplius rumor cepit increbreſcere hoſtibus ſubſidium uenire. Et quamuis

diceretur non eſſe niſi ad quinq; millia hominum, tantus tamen timor gallos Dominos inceſſit, aut potius propter Regum concordiam decompacto fiebat, ut ſigna ſublata ſint, atq; inde repente ad Villamfrancam receſſum eſt. Et quidem res ipſa ſuſpitione non caruit, quia proculdubio cum poſſent alioquin urbem capere, uanum timorem diſſimularunt. Igitur Dominus Lutrech cum exercitu & Theodorus triultius cum Andrea Gritto & parte Veneti exercitus ad Villāfrancam caſtrametati ſunt. Nāq; Ioannes Paulus gradonicus alter legatus cum Ioanne Paulo manfrono trecentis militibus ſexcentis leuitibus & duobus millibus peditum ad Alboretum citra Athesim ſtabat cum ponte parato, ut ſemper ultro citroq; commeandi facultas eſſet. Dominus enim Lutrech noluit propius urbem ire, ſed aiebat ſufficere ibi ſtare, commeatum uetare, & ſemper intercipere qui pabulatum palantes ibant, atq; adhuc nolebat Venetos impenſæ parcere, & alioquin minabatur ſtatim Mediolanum abire. Poſtremo tamen in mentem uenit contra urbem periculum facere, & ſtatim iubet alam leuitum & aciem peditum nocte intempeſta uſq; in urbem Veronam per muri ruinas ire, & clamare cum tubis & timpanis, ſi eo modo forte poſſent ciuitatem repente capere. Sed periclitari parum profuit & galli ſpe ſua fruſtrati ſunt, cum nequiuiſſent ut ſperabant hoſtes incautos offendere. Deinde Venetorum maxime ſita ſpes erat ſuper in-

pia militum Veronæ, quia germani ſoluendo non erant, & milites parabant ſibi ipſis propediem conſulere. Non tamen propterea deſiſtebatur bello, nãq; alioquin frequenter leuia certamina fiebant, & hoſtes potiti ſunt caſtello Scluſa & Crouaria. Sed ſuper Crouaria frequenter certamen erat, quia ſupra montem ibatur & ſaxis etiam cuſtodes cogebantur recedere. Itaq; nunc hoſtium, nunc Venetorum fiebat, dum quiſq; uellet eum ſaltum habere, ex quo facile in Veronam cum commeatibus ibatur. Nanq; Crouaria caſtellum eſt ad montem prope Atheſim ſupra Veronam uerſus Tridentum, ubi & pedites tormentarii ad ripas fluminis ſtabant, & uetabant rates cum commeatu in Veronam per amnem ire. Atq; amplius Mercurius bua cum equitatu leuitum prope erat in ipſa ualle Caurinea, & cum hoſtes e Verona ueniſſent, & diripuiſſent animalia, ille hoſtem ſecutus fudit & prædam omnem recepit. Babonus quoq; naldius cum peditibus, & Theodorus manaſe cum pileatis equitibus repente auſi ſunt amnem traiicere & inuadere quadringentos pedites hoſtium, qui ſtabant e regione Crouariæ. Et quidem primo atrox certamen fuit, donec paribus animis & uiribus ageretur. Sed tandem cum ducenti hoſtium periſſent, reliqui per montes fuſi fugatiq; ſunt, & Crouaria ui capta eſt. Aliter poſtea hoſtes aucti uiribus uenerunt & receperunt Crouariam, quia putabant poſſe ita facile rates onuſtas commeatuum

in Veronam conuehere. Sed tantum affuit ut Mercurius bua cum equitatu leuitum repēte amnem uadatus ex altera ripa ſexcentos pedites hoſtium fuderit, rates diſiecerit, & diſſipauerit ingentem copiam commeatuum. Atq; parte alia Babonus naldius cum peditatu Crouariam iterum cepit, quo poſtea oportuit magna præſidia equitum & peditum mittere, quia ferebatur magnam copiam commeatuum cum maioribus præſidiis ex Tridento Veronam uenire. Et quidem octo uexilla hoſtium cum commeatu terreſtre iter tenebant, quia tutius per montes ibatur. Veneti tamen leuites, amnem uadati illos ad perim locum aggreſſi ſunt, ordines diſturbarunt, & ceperunt quadraginta equos onuſtos commeatuum, atq; iterum identidem fecerunt ad Valliſeram & multi hoſtium cæſi ſunt, atq; alii uix potuerunt per montes cum parte commeatuum in Veronam euadere. Sed magis etiam ex montibus Vincentiæ commeatus in urbem clanculum portabantur. Adeo ſemper ubi magna lucri ſpes eſt, nulla ædicta aut cuſtodiæ poßunt aduerſum ſufficere. Et quod peius erat rumor cepit increbreſcere militibus Veronæ ex Tridento duplum ſtipendium uenire. Nāq; ex eo dabatur intelligi nihil fore de pace gallorum & Venetorum cum Cæſare, de qua iamdudum agebatur, atq; eo maxime quia Cardinalis Sedunenſis nuper in angliam uenit omnia diſturbare, & ſeducere heluetios, ſimulq; Regē hiſpaniæ & germaniæ cum Rege

angliæ & Pontifice. Et quidem Calendis Nouembris in anglia iuratum fœdus eſt, & Sedunenſis cumulatus muneribus Romam & in Burgundiam ibat. Sed poſtquam ad Regem hiſpaniæ relatum eſt, ipſe renuit quæ ſuus orator pepigerat, & amplius pollicitus eſt reddere quadraginta millia numum quæ Rex angliæ Regi romanorum tradiderat, ut ſancitis fœderibus ſtaretur. Aliter tamen Dominus Lutrech dubitabat, & uolebat tempeſtiue Mediolanum recedere, deinde cauſabatur non poſſe amplius contra Veronam ſtare præ inopia militum, niſi cum parte gallorum in agro brixienſi ſtaretur, & haberentur quæcunq; uictui neceſſaria ſunt, atq; id mali Venetis paulopoſt acceſſum eſt, quod cum ageretur de concluſione pacis Venetorum cum Rege romanorum germani oratores qui prius aſſentiri uidebantur, palam aiebant Regem romanorum nolle pacem cum Venetis, ſed uelle dare Veronam Regi gallorum, dummodo fœdus Cameracẽſe ſeruaretur. Quod cum uideret Rex gallorum tam cito contra ſpem & rationem eueniſſe, ſtatim iubet ſuos oratores Dominum; Dorualenſem Rochafortẽſem et præſidem Oliuerium nullum uerbum amplius facere, atq; ex Burſellis in patriam redire, quandoquidem aliter ageretur cum heluetiis, quorum anguli tresdecim contenti erant pro gallis ſtare, ſi darentur quingenta millia numum, & pro Luganio et Locarnio triginta millia. Veneti uero conſternati animi tandem paſſi

ſunt omnia facere, quæ Dominus Lutrech ante pe‐
tierat & contenti fuerunt Brixienſes adminiſtrare
gallis militibus omnem copiam commeatuum uinum,
panem, carnes, piſces, fœnum, paleam, & cuncta eſcu‐
lenta & poculenta ad ſummam mille numum quot‐
tidie. Nãq; omnino uolebant gallos contra Veronam
ſtare, ſimul ac apud Venetos pacis cum Rege ro‐
manorum nulla amplius ſpes eßet, quamuis alioquin
Rex gallorum ſemper iuberet eos bene ſperare, quia
Rex hiſpaniæ pacem de more iuraſſet, & ſuſce‐
piſſet ſuum ordinem Michaelis, atq; amplius Domi‐
nus Chieurenſis uir primarius Burgundiæ in mu‐
nus accepißet uaſa argentea ad decem millia nu‐
mum, & Magnus Scriba identidem ad quinq; millia
numum. Neq; ſpes concepta Regem gallorum feſellit,
nãq; idibus Nouembris cum galli oratores pararent
ex Burſellis diſcedere, oratores germani maluerunt
propoſitas conditiones accipere, ut pax Regis roma‐
norum cum Rege gallorum intercederet, & cum
Venetis induciæ duo de uiginti menſium, Verona
tradenda Venetis cum Veronenſi territorio Regi
gallorum poſt ſex hebdomadas daretur, Rex gallorũ
uiciſſim daret Regi romanorum ducenta millia nu‐
mum, & relinqueret quæ debebantur trecenta ui‐
ginti quinq; millia, atq; identidem cederet Regi ro‐
manorum Ripa oppidum & Roueretum cum iis, quæ
tenet in Foroiulii, & Veneti haberent quæ tenent
Regis romanorum municipia, donec Rex gallorum

& Rex hiſpaniæ iudices arbitri ſuper omnibus difficultatibus iudicarent, quando etiam Reges romanorum gallorum & hiſpaniæ uolebant conuenire, & inuicem loqui in oppido Cameraco ad Cãdelorium. Neq; tamen oratores germani alioquin adſtipulati ſunt, quia petierunt tempus dierum duodecim, donec Rex romanorum ſanciret quæ ipſi fecerant, ſicut promittebant fore, & uiciſſim galli oratores pro Rege ſuo polliciti ſunt, ut reges de more iurarent, & ſancirent omnia, quæ alioquin ualida eſſe non poterant. Sed dum differtur beluetii, quia uident Regem romanorum propter Regem hiſpaniæ potius ꝙ ad anglos, ad gallos & Venetos declinare, atq; uelle pacem & inducias, ipſi feſtinarunt melioribus conditionibus antecapere. Nanq; & quinq; anguli qui prius duriuſculi fuerant conſenſerunt, atq; omnes ſimul pacem fecerunt cum Rege gallorum, & primo quoq; tempore acceperũt delatas pecunias ad quingenta millia numum. Atq; amplius poſtea Regi hiſpaniæ a Cæſare redditæ ſunt litteræ, quibus continebatur ſe pacem & inducias uelle, & quod Rex hiſpaniæ adſtipularetur ſuo nomine. Igitur pridie nonas Decembris per Regem hiſpaniæ ſancita pax eſt & induciæ, conditioneſq; munitæ ſunt ſigillis Regis gallorum & Regis hiſpaniæ, atq; galli oratores receſſerunt cumulati muneribus, & optato officio functi ſunt. Quæ cum primum gallis & Venetis nunciarentur eam diem fœliciſſimam putarunt, & opti

marum rerum principium fore. Et idcirco ſuppli-
cationes indictæ ſunt, atq; induciæ cum Venetis, & cum Rege gallorum proclamata pax eſt, cum tubis & omnibus ſignis lætitiæ. Deinde quia utriq; ege-
bant pecuniis galli exegerunt ex Mediolano ducēta millia numum, & Veneti mutuo acceperunt ex ſuis urbibus ſexaginta millia. Nāq; & ipſi ut primum Ve-
rona daretur tenebātur dare quinquaginta millia, & poſt ſex menſes alia quinquaginta millia, atq; amplius quatuordecim millia pro iis, qui pacis & induciarum intermedii fuerant, atq; etiam Domino Lutrech pro ſex millibus peditum triginta ſex millia debebātur. Poſteaquam uero hoſtes etiam qui Veronæ erant ex litteris Cæſaris certiores facti ſunt de pace & de induciis, ceperūt agere de ſuſpenſione armorum cum gallis & Venetis, atq; ultro citroq; tubicines mittebantur. Et quia Dominus Lutrech differebat, donec in eam ſententiam litteræ e gallia redderentur. Poſtea per litteras agebatur, & deniq; ſub fide publica gallorum & Venetorum Bernardus Epiſcopus tridētinus Veronam uenit eam urbem nomine Regis hiſpaniæ accipere & dare Regi gallorum ut Venetis traderetur. Nāq; dum Dominus Curtauillenſis nimiū differt, cui demandatum negocium erat, Rex romanorum ad eam rem Epiſcopum tridentinum inſtituit, ut citius expediretur & haberentur optatæ pecuniæ. Deinde Epiſcopus tridentinus cū Caſtelalto belſuetio, germano milite, & Tridentino doctore ad

Doſobonum

Doſſobonum uillam uenit loqui & conuenire Domi-
num Lutrech cum Theodero triultio & Andrea
Gritto. Sed quia difficultas erat ſuper tempore ſex
hebdomadum tradendæ Veronæ, an inciperent a
tertio nonas Decembris, qua die apud Burſellem pax
& induciæ factæ ſunt, an quarto idus Ianuarii, quan-
do Epiſcopus Tridentinus eam accepit nomine Regis
hiſpaniæ, rebus incompoſitis receſſum eſt. Aliter cũ
Veronam rediſſent, milites importune pecunias uo-
lebant, & minabantur alioquin omnia prædæ pro-
pediem fore. Atq; icciirco uix Tridentinus Epiſcopus
cum ſociis ex tumultu in arcem potuit euadere, &
deinde quærebatur quomodo cito urbem traderent,
& pecunias acciperent, ut poſſent ſeditionem ſuppri-
mere. Itaq; Epiſcopus Tridentinus iterum conuenit
Dominum Lutrech & diu locutus eſt ſolus cum ſo-
lo, atq; maxime ſuadere conabatur, ne galli Venetis
Veronam darent. Sed cum Dominus Lutrech om-
nino renueret id facere, poſtridie ad Doſſobonum uil-
lam iterum uenit, & deniq; conuenit die Iouis ur-
bem tradere, & interim datis obſidibus habere
quindecim millia numum, quia alioquin peditibus Ve-
ronæ non poſſet ſatisfacere atq; illos dimittere, &
tamen poſtea Domini germani cum pranſumueniſ-
ſent cum Domino Lutrech nullum uerbum fecerunt
de pecuniis, & potius de captiuis locuti ſunt, de
quibus actum erat apud Burſellem poſt pacem &
inducias. Et benigne reſponſum eſt colloquium fore

inter reges apud oppidum Cameracum, ubi de captiuis & aliis omnibus ageretur. Poſtea Nicolaus caballus & Leonardus liſcha ex Verona oratores uenerunt ad Dominum Lutrech & Andream Grittum gratulari, atq; totius urbis conceptam lætitiam oſtendere, et deinde poſtridie Dominus Lutrech armatus cum quadringentis militibus, & duobus millibus peditum ſimul cum Theodoro triultio Andrea Gritto & Ioanne Paulo gradonico cum magna pompa & omnibus ſignis lætitiæ urbem Veronam ingreſſus eſt per portam nouam, qua in Hiſpaniam itur & cum ad palatium uentum eſſet Epiſcopus Tridẽtinus urbem dedit Domino Lutrech nomine Regis gallorum, quam ipſe iuxta conditiones pacis paulo ante acceperat nomine Regis hiſpaniæ, atq; poſtridie Epiſcopus Tridentinus accepit ex Venetis triginta millia numum & Tridentum abiit cum impedimentis & militibus, atq; Aluiſio Gritto obſide pro tormentis militiæ, quæ poſtea Tridentum delata ſunt. Poſt biduum uero Dominus Lutrech omnes pecunias accepit quæ debebantur, & deinde Veronæ cum magna pompa induciæ proclamatæ ſunt, & quemadmodum omnibus ignoſcebatur, qui res nouas antea moliti fuerant, atq; identidem Veronæ Venetiis, & in omnibus ciuitatibus per triduum omnia ſigna lætitiæ fiebant cum lampadibus & nocturnis ignibus, atq; amplius quotannis Veronæ ſeptimo decimo calendas Februarii in memoriam eius quod factũ eſt,

de more ſupplicationes indictæ ſunt, quæ omnia cum per preconem dicerentur in æde maiori excepta ſunt cum maxima lætitia plauſu & clamore, atq; aliqui ſtatim detulerunt auratos leones cum Chirographis, Veritas e terra orta eſt, & iuſtitia de cælo proſpexit. Tantus autem fuit concurſus populi, ut Duces & legati uix e templo egredi poßent & domum ire, atq; identidem per triduum tota ciuitas lætata eſt cum campanis tubis & omnibus ſignis lætitæ, ut & galli ſtuperēt tantos affectus popularium erga rempublicam. Deniq; Dominus Lutrech dedit claues urbis legatis Venetis, quibus cum oratores ueronenſium gratulati & polliciti ſunt fidem inuiolatam ſeruare. Deinde abeūtibus gallis intrarunt urbem equites & pedites Veneti, & per ciuitatem cuſtodiæ paſſimq; præſidia & ordines diſtributi ſunt. Nāq; alioquin pedites & leuites miſſos fecerunt præter quingentos leuites & duo millia peditum, & milites ad ſtationes miſſi ſunt, ac ſi pax eßet, quia uigebant induciæ & difficultates aliæ inter Venetos & Regem romanorum in manu Regis gallorum & Regis hiſpaniæ ſitæ ſunt, quibus uiciſſim legitima facultas collata eſt, res omnes componere, ut ſemper eorum iudicio ſtaretur. Hic finis belli quod ſuſcepimus ſcribere. In quo expenſa feruntur ad quinq; millia milliū nummum. Et quidē tantæ pecuniæ uariis modis quærebantur, quos annumerare nimium longum eßet. Sed illud nequaquam oportet ſilentio inuoluere quod

mirum fuit & nunquam auditum in alia republica. Nāq; cum maxime opibus egeremus, forte ceptū eſt mutuare in commitiis & certare ſtudio iuuandæ reipublicæ. Itaq; illi in magiſtratibus legebantur qui pecunias darent, atq; ea uia per octo menſes quingenta millia numum relata in ærarium feruntur, & ſuffecit anguſtiæ temporis, quia interea induciæ factæ ſunt, & e ſenatu conſulto cautum eſt non licere amplius identidem facere, ſicut alioquin non decebat pecunia honores emere, qui ſolis uirtutibus debentur. Dominus autem Lutrech laudatus & donatus ſimul cum aliquibus ducibus cum toto exercitu militum, quia pedites omnes miſſos fecerat, uerſus Mediolanum diſceſſit, & Andreas Grittus eum comitatus eſt uſq; urbem Laudam, ubi Dominus Lutrech Michaelis ſuſcepit ſacrum ordinem ex Ioanne Iacobo triultio, qui illuc obuiā uenerat, & cum Andrea Gritto uſus eſt bonis uerbis atq; amplexibus, ſicut in diſceſſu fieri ſolet. Et pariter ambo polliciti ſunt pro mutua pace et amicitia ſemper agere, ut ſua uiciſſim opera inter Regem gallorum & Venetum ſenatum diu indiſſolubile fœdus initum ſeruaretur quod utriq; perpetuo fauſtū fœlixq; ſit. Atq; in hæc uerba Dominus Lutrech Mediolanum abiit, & Andreas Grittus reuiſit Cremam, Bergomum, Brixiam, Patauium & Tauriſium, atq; cum magno applauſu omnium plenus laudum Venetias uenit, & poſt eum Gubernator Triultius, ubi exceptus eſt cum magna

pompa & cum omnibus ſignis lætitiæ in naui Bucentoria. Atq; iſta qualiacūq; ſunt quæ uolui dicere incipiens ab anno milleſimo quingenteſimo quinto decimo Calendis Martii, uſq; in hunc annum milleſimū quingenteſimum decimum ſeptimum idibus Auguſti. Alii poſthac alia uiderint, qui poſſunt melius & luculentius.

Regiſtrum

a b c d e f g h i k l m n o p q r ſ t
u x y z & Omnes ſunt quaterni
præter & qui eſt duernus.

Impreſſum Venetiis per Bernardinum Venetum de Vitalibus anno . M . D . XXV . quinto idus Auguſti, Duce Inclyto Andrea Gritti.

CVM GRATIA ET PRIVILEGIO.

ERRATA

IN a ſecundo ſummuntur pro ſumuntur. in a.3. ſummere pro ſumere. in a.4. ſummuntur pro ſumuntur. Item ſtumine pro flumine. item fo.5. uillis ꝓ uilis. item opere ꝓ operæ. item heredibus ꝓ hæredibus. Itē fo.6. ὀμηρομάστικασ ꝓ ὀμηρομάστιγασ. item fo.7. accerſciuit ꝓ accerſiuit. itē inde mortui ꝓ in demortui. itē pactæ pro factæ. In b.2. panoniæ pro pannoniæ. itē apnd pro apud. In b.4. reddire ꝓ redire. itē differet ꝓ differret. Itē fo.8. ſufectus pro ſuffectus. itē placare ꝓ pacare. In c.2. oppidis ꝓ oppidū. Itē c.4. cōmitati ꝓ comitati. Itē fo.5. æſculenta pro eſculēta. ite cōmitatus ꝓ comitatus. itē letitiæ ꝓ lætitiæ. Itē fo.6 ſeccedendū pro ſecedēdū. itē ſolūnoodo ꝓ ſolūmodo. item cobire ꝓ coire. Itē fo.8. britaniæ ꝓ britāniæ. item adicite ꝓ adiicite. In d.1. accerbius ꝓ acerbius. In d.2. inſulas pro inſulas. In d.3. plæriq; pro pleriq;. itē uidere pro uideri. In d.4. ſumus pro ſumus. itē britūniæ ꝓ britāniæ. itē quātum ꝓ quantum. itē uellis pro uelis. itē uellit pro uelit. Itē fo.5. pilleati pro pileati. itē mores pro moris. Itē fo.7. millitibus ꝓ militibus. Itē fo.8. Hanibal ꝓ Hānibal. item accerſcere pro accerſire. itē colapſa pro collapſa. item deiude ꝓ deinde. In e.1. ſubgetis pro ſubiectis. In e.2. nillia ꝓ millia. In e.3. præciſos multos ꝓ præciſas multas. itē trāſuerſos ꝓ trāſuerſas. Itē fo.5. iminēti ꝓ imminēti. itē uellis pro uelis. Itē fo.6. Adicite ꝓ Adiicite. In f fo.5.

propallare p propalare. Itē fo.7. uellit p uelit. In g .3. inferrēdi p infērēdi. Itē fo.8. manibas p mœnibus. In h .1. cunctis pro cūctis. In h .2. Bermardinū p Bernardinum. In h .4. opportunæ pro opportune. itē Abbano p Apono. Itē fo.7. auiduis pro auidius. itē ellapſa p elapſa. itē inſecta p infecta. Itē fo.8. inermen pro inermem. In i .2. ipſis pro ipſi. In i .3. qnæ pro quæ. itē anxilio p auxilio. itē nenerūt pro uenerūt. In i .4. accerſcere p accerſere. In K .3. Gōtra pro Cōtra. Itē fo.7. abducee pro abducere. Item fo.8. locatæ pro locate. In l fo.8. tormēotis p tormētis. itē ſequebannur pro ſequebātur. In m .3. lucēſes p lucēſes. Itē fo.5. lēbns pro lēbos. Itē fo.7. ptopter p propter. In n .1. ſemp pro ſemp. In n .2. pōtiſicis p pōtificis. In o.1 & quod diutino labore hoſtes fecerāt, cito demolitū opus eſt, p & cito demoliri id qd diutino labore hoſtes fecerāt. In o .4. in de pro inde. In r .1. euēte pro euētu. In r .4. egebāt pro agebāt. itē omuibus pro omnibus. Itē fo.7. antē pro autē. itē cētnm pro cētū. In ſ .1. laceſcēdi pro laceſſēdi. In ſ .3. qeditibus pro peditibus. Item fo.5. flnmina pro flumina. In t .4. ſugā pro fugā. In u .2. muulti pro multi. In x fo.6. alius pro alios. itē cētnm pro cētū. Itē fo.8. hoſliū pro hoſtiū. In y fo.8. litreras pro litteras.

Atq; alia fore crediderim, quæ diligēs lector repiat & nos iſta ædidimus tanq; adhuc faceremus, ut oēs ingenue dicāt, & nos poſſimus corrigere.

11893 7329

46

MOCENIÆ HISTO

5


calibrite
colorchecker CLASSIC
mm